



**Dissertatio oeconomico-politico-litteraria qua Platonis  
doctrina de communione bonorum, mulierum et liberorum, in  
libris de Republica proposita, sub examen vocatur**

<https://hdl.handle.net/1874/321029>

DISSERTATIO OECONOMICO-POLITICO-LITTERARIA ,

QUA

PLATONIS DOCTRINA DE COMMUNIONE  
BONORUM, MULIERUM ET LIBERORUM,

IN LIBRIS DE REPUBLICA PROPOSITA,

SUB EXAMEN VOCATUR.

IMPRIMATUR GEORGIUS POLYCHONIA

PLATONIS DOCTRINA DE COMMUNIONE  
IN NOMINE MATRUM ET PATRUM

IN PLURIBUS DE KRISTOS PROPOSITA

IN PLURIBUS DE KRISTOS PROPOSITA

PLATONIS DOCTRINA DE COMMUNIONE

DISSERTATIO OECONOMICO-POLITICO-LITTERARIA,

QUA

PLATONIS DOCTRINA DE COMMUNIONE BONORUM, MULIERUM ET LIBERORUM,

IN LIBRIS DE REPUBLICA PROPOSITA,

SUB EXAMEN VOCATUR.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**BART. JAC. LINTELO DE GEER,**

PHIL. THEOR. MAG., LITT. HUM. ET JUR. UTR. DOCTOR, PROF. EXTRAORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARIAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus**

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

**EVERARDUS VAN VOORTHUYSEN, Hi. Fil.**

JUR. UTR. DOCTOR,

**Amstelodamensis.**

A. D. XXVIII M. JUNII, A. MDCCCL, HORA I.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD J. G. BROESE.

DISSERTATIO DE ECONOMIA POLITICA LITTERARIA

PLATONIS DOCTRINA DE COMMERCIO BONO

ET LIBERUM ET LIBERORUM

EX LIBRO DE REPUBLICA PROPOSITA

SUB EXAMINE VOCATIS

ANNUNTIAT ANNO MDCCLXXIII

BART. JAC. LINTED DE GRUB

IN ACADEMIA HANNOVERANICA

IN FACULTATE LITTERARUM

Jus Gratia Doctoratus

IN ACADEMIA HANNOVERANICA

IN FACULTATE LITTERARUM

IN ACADEMIA HANNOVERANICA

BARBARUS VAN VOORHUYSEN, M. D.

THE HAGUE, 1773

TYPIS K. J. GIBBEN.

## PROOEMIUM.

*En Respublica Platonis denuo sub examen vocata! Dicet fortasse aliquis libelli hujus titulum legens. Nonne jam multum in hoc argumento tam philosophi quam oeconomiae politicae cultores elaborarunt? Nonne satis superque philosophi doctrina ab his vituperata, ab illis contra in coelum elata est laudibus? Fateor; nihilominus ausus sum argumentum hoc denuo tractare, opinatus etiam novi quid, qualecunque sit, de eo dici posse, et praeterea ipsis temporibus ad id adductus.*

*Nemo paene fuit, quem non vehementes commoverint impetus, quos hisce maxime temporibus novarum rerum cupidi, vulgo communistae appellati, adversus praesentem rerum publicarum statum moliti sunt; nec immerito multis metus incutiebatur, ne toti societati ruina ab his immineret. Haec res me impulit ad investigandum, quomodo hominum mentes ad absurdam istam et perniciosam doctrinam adduci potuis-*

sent. *Prodierunt Reybaudii et Sudrae libri, historiam ejus doctrinae continentes, quos legi, et inde cognovi Platonem principem haberi eorum, qui communionem praecipiunt bonorum, mulierum, liberorum. Quid mirum igitur me, jurisprudentiae et oeconomiae politicae operam navantem, et propterea juris domini ac vitae domesticae patronum, non magno in honore habuisse philosophum, quem auctorem credebam doctrinae, merito ab omnibus bonis civibus spretae?*

*Interim adversa me valetudo per totam hiemem a foro in Academiam transtulit, ubi rerum praesentium occupatione vacuus antiquitatis et litterarum studiis me dedi. Itaque in philosophiae historia tractanda aliorum etiam judicia de Platone cognovi et valde miratus sum, quum eundem uno ore laudibus in coelum efferrī viderem a Morgensternio, Stallbaumio, Heusdio, aliis, tanquam divinum philosophum, qui opus praestantissimum et maximi ad humanitatem pretii posteris reliquisset. Dubitans ergo utrum a philosophorum an ab oeconomicorum qui vocantur judicio standum esset, ipsum philosophi opus attentō animo perlegi: quo legendo in eam perductus sum sententiam, ut neque laudatorum partes neque acerimorum vituperatorum sequendas duxerim, sed quasi mediam viam tenuerim inter utrosque.*

*Primum igitur Platonis doctrinam de communiōe bonorum, mulierum et liberorum exponendam mihi proposui, omissis iis, quae philosophus de aliis argumentis in opere de Republica disputasset; deinceps*

quid ipse de illa ratione censuerit et quatenus eam generi humano convenire putarit, explicaturus. Nec satis perspicui posse putavi Platonis rationem, nisi causas etiam inquirerem, quibus Plato ad civitatem suam mente informandam adductus sit, positas illas partim in rerum publicarum ipsius tempore statu, partim in aliorum legislatorum praeceptis et institutis, quae sine dubio magnam vim in operis auctore habere. Postremo iudicia tam Aristotelis quam recentiorum de commentitiâ Platonis civitate enarranda esse duxi; quae scribenti ansam dederunt, ut meum iudicium de omni disputationis argumento tanquam finem operi imponerem.

Jam Academiam relicturum gratus me jubet animus, maximas quas possum agere gratias, pro singulari benevolentia, qua vos omnes, praeceptores aeternatissimi, per satis longum studiorum cursum semper me affecistis. Nemine vestrum usus sum magistro et doctore, quem non eundem amicum fautoremque expertus sim. Persuasum vobis habetote, me consilia vestra et monita, tam in litteris tractandis quam in conscribenda hac dissertatione mihi impertita, ut grato animo accepi, sic pia semper memoria servaturum.

Quid autem tibi referam, carissime pater, pro summa caritate, qua me inde a teneris ad hunc usque diem es prosequutus? Quod mihi vires non suppeditant, Deus digne tibi rependat, ac diu te servet incolumem, enixe precor.

Vos tandem compello, amicissimi sodales, vestrum



aegre relinquo' dulcissimum consortium, forum ingressu-  
 rus amicitiae studiisque saepe inimicum. Amici ergo ac-  
 cipite sinceri animi vota! Vivite felices, virtute for-  
 tunaque insignes, Almae matris nostrae praesidia vos  
 praestate vestra ipsorum praestantia, memores Plato-  
 nici illius: τὸ ξύμφυτον ἄρα κακὸν ἐκάστου καὶ  
 ἡ πονηρία ἐκάστον ἀπόλλυσιν.

## CONSPECTUS.

---

	Pag.
CAPUT PRIMUM. QUALIS SIT COMMUNIO BONORUM, MULIERUM ET LIBERORUM, IN PLATONIS REPU- BLICA PROPOSITA.....	1
CAPUT SECUNDUM. PLATONIS IPSIUS DE HAC DOC- TRINA SENTENTIA.....	29
CAPUT TERTIUM. DE NOVA CIVITATIS INSTITUTIONE, QUALIS PROPONITUR IN LIBRIS DE LEGIBUS.....	38
CAPUT QUARTUM. DE POLITICA ATHENARUM CON- DITIONE, QUAE IN PLATONIS OPINIONIBUS VIM HABUISSE VIDETUR.....	50
CAPUT QUINTUM. DE ALIORUM QUORUNDAM LEGIS- LATORUM INSTITUTIS, QUAE IN PLATONIS DOC- TRINA VIM HABUISSE VIDENTUR.....	66
CAPUT SEXTUM. NONNULLORUM JUDICIA DE REPU- BLICA PLATONIS.....	87
CONCLUSIO.....	107

---



## CAPUT PRIMUM.

QUALIS SIT COMMUNIO BONORUM, MULIERUM ET LIBERORUM,  
IN PLATONIS REPUBLICA PROPOSITA.

Communio bonorum, delirantium illud nostrae aetatis politicorum somnium, quod divina humanae omnia subvertere instituta et pauperibus aeque ac divitibus exitium afferre minatur, ut multos recentiores nacta est fautores, sic etiam antiquitus suos habuit patronos et asseclas. Apud veteres quoque haud defuerunt fanatici quidam politici, qui innumera animadvertentes vitia, quibus hominum genus laboret, novum rerum ordinem inducere studuerunt et mente condiderunt civitates, dignas fortasse, quae poëtarum carminibus laudentur, humanae vero imbecillitati parum accommodatas.

Et horum quidem fanaticorum princeps vulgo habitus est Plato, cujus doctrina, quamvis acriter ab Aristotele jam castigata, hisce demum tempo-

ribus ab iis, qui novis rebus student, admodum laudari coepta est, ut quae *communismi*, qui dicitur, fundamentum quasi et normam continere videatur. Perperam. Communionem enim, quam volunt, et quae totius orbis terrarum incolas quasi una domo complecteretur, Plato ne cogitavit quidem, nec si potuisset cogitare, hominibus unquam commendare voluisset. Operae pretium igitur erit videre, quid nobilissimus philosophus re vera hac de re statuerit, ut tum civitatum perturbatoribus gravem hujus viri auctoritatem eripiamus, tum ipsum Platonem falsa et prava specie liberemus, ne perversa illorum laudatio philosophi nomen notet infamia.

Communio bonorum, mulierum et liberorum, qualis apud Platonem occurrit, eos tantum spectare videtur, qui civitati sunt praefecti et custodes (*φύλακες*) ab ipso vocantur 1). Antequam igitur ipsam communionem uberius exponamus, qualis sit, indagandum nobis erit utrum revera custodes tantum, an vero omnes cives nullo discrimine complectatur.

Sunt, qui putent Platonem communionem inter

1) Quanam sit civitatis ex Platonis sententia origo, ac quemnam locum in ea obtineant custodes, breviter et dilucide exposuit FR. VON RAUMER, Ueber die Geschichtliche Entwicklung der Begriffe von Recht, Staat und Politik. Leipzig 1832, p. 8, 9. Conf. omnino F. J. STAHL, Die Philosophie des Rechts nach geschichtlicher Ansicht. Heidelberg 1830, p. 11, 15 et W. G. TENNEMANN, Geschichte der Philosophie. Leipzig 1799, p. 512 seqq.

omnes cives praecepisse: »Que les richesses soient communes,» inquit Reybaud, »entre tous les citoyens, que les femmes soient communes et qu'on apporte tous les soins imaginables pour retrancher du commerce de la vie jusqu'au nom même de la propriété 1).» Jefferson, postquam multis verbis in philosophum invectus est, sic pergit: »Il est heureux pour nous, que le républicanisme de Platon n'ait pas obtenu la même faveur que son Christianisme, sans quoi nous vivrions tous aujourd'hui, hommes, femmes et enfants, pêle-mêle comme des brutes 2).» Errant tamen. Custodes enim, quibus communionem praecipit, manifesto a ceteris civibus secernit, qui illis victum pro mercede praebere debeant: Ἀλλὰ μνημονεύω, ἔφη, ὅτι γε οὐδέν οὐδένα ὠμόμεθα δεῖν ζητῆσθαι ὧν νῦν οἱ ἄλλοι, ὥσπερ δε ἀθλητὰς τε πολέμου καὶ φύλακες, μισθὸν τῆς φυλακῆς δεχομένους εἰς ἐνιαυτὸν τῆν εἰς ταῦτα τροφήν παρὰ τῶν ἄλλων, αὐτῶν τε δεῖν καὶ τῆς ἄλλης πόλεως ἐπιμελεῖσθαι 3). Παρὰ τῶν ἄλλων, hoc est, aliorum civium, qui

1) L. REYBAUD, Etudes sur les Réformateurs ou Socialistes modernes. Brux. 1844, I, p. 57.

2) JEFFERSON, Mélanges politiques et philosophiques III, p. 237.

3) Rep. VIII, p. 543. Conf. omnino Rep. III, p. 416, E.: τὰ δ' ἐπιτήδεια, ὅσων δεόνται ἄνδρες ἀθληταὶ πολέμου σώφρονές τε καὶ ἀνδρεῖοι, ταξαμένους παρὰ τῶν ἄλλων πολιτῶν δέχεσθαι μισθὸν τῆς φυλακῆς τοσούτον, ὅσον μήτε περιεῖται αὐτοῖς εἰς τὸν ἐνιαυτὸν μήτε ἐνδεῖν.

custodes non sunt, neque ideo inter se communionem bonorum gaudent.

Post, ubi docet quomodo demum discordia in civitate oritura sit, »Orto, inquit, tumultu atque seditione in medium custodes convenient, ut agros atque domos distributas suas quisque privatim possideat; τούς δὲ πρὶν φυλαττομένους ὑπ' αὐτῶν ὡς ἐλευθέρους, φίλους τε καὶ τροφείας, δουλωσάμενοι τότε περιοίκους τε καὶ οἰκέτας ἔχοντες 1).» Οἱ πρὶν φυλαττομένοι ὀpponuntur custodibus, qui tandem communionem relinquent et privatas domos agrosque optabunt. Plebem 2) igitur significat Plato, quam communionem liberatam esse non dicit, quia hac a principio non erat usa.

Custodes tanquam summi iudices in civitate jus dicent: ὅπως ἂν ἕκαστοι μὴτ' ἔχωσι τὰ ἀλλότρια μῆτε τῶν αὐτῶν στέρονται 3). Ubi τὰ ἀλλότρια et τὰ αὐτῶν agnoscuntur, jus viget dominii; hoc igitur apud plebem reperietur, quum soli custodes mercede communi fruuntur.

Domibus privatis, agris, ceteris bonis custodes non utentur, sed a ceteris civibus victum accipient tanquam custodiae mercedem, quo communiter fruuntur. Ἐφαμεν γὰρ ποῦ οὔτε οἰκίας τοῦτοις ἰδίας δεῖν εἶναι οὔτε γῆν, οὔτε τι κτήμα. παρὰ

1) Rep. VIII, p. 547, C.

2) Qui custodes, i. e. magistratus vel milites non sunt.

3) Rep. IV, p. 433, E.

τῶν ἄλλων τροφήν λαμβάνοντες, μισθὸν τῆς φυλακῆς, κοινῇ πάντες ἀναλίσκειν, εἰ μέλλοιεν ὄντως φύλακες εἶναι 1). Denno hic dicit παρὰ τῶν ἄλλων, quibus reliquos cives, qui custodes non sint, ideoque plebem intelligat necesse est.

Munera quoque, alimenta, aliasque res ad vivendum necessarias, a civitate nanciscentur custodes: τροφῇ τε καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν, ὅσων βίος δεῖται, αὐτοὶ τε καὶ παῖδες ἀναδοῦνται, καὶ γέρα δέχονται παρὰ τῆς αὐτῶν πολέως 2). Munera dari nequeunt nisi ab iis, qui bona quaedam possident, neque de his sermo esse posset, si revera omnia essent communia. Simul atque etiam alicui donum aliquod daretur, violaretur ἡ communio.

Haec igitur sufficiant, ut probemus Platonem bonorum communionem solis custodibus praecepisse. Locus tamen se offert initio libri octavi, qui dubitationem movere videtur. In memoriam revocat, quae antea docuerat et ταῦτα μὲν δὴ ὁμολόγηται inquit, ὦ Γλαύκων, τῇ μελλουσῇ ἄκρως οἰκεῖν πόλει κοινὰς μὲν γυναῖκας, κοινούς δὲ παῖδας εἶναι καὶ πᾶσαν παιδείαν, ὡσαύτως δὲ τὰ ἐπιτηδεύματα κοινὰ ἐν πολέμῳ τε καὶ εἰρήνῃ 3). Videri potest hoc loco philosophus communionem omnibus tribuisse, quia sine discrimi-

1) Rep. V, p. 464. C.

2) Rep. V, p. 465. E.

3) Rep. VIII, p. 543. A.



mine mulieres et liberos communes esse dicit. Si articulum τὰς γυνῆικας et τοὺς παῖδας addidisset, sine dubio omnes intelligerentur mulieres et liberi; eo autem omisso, dictum hoc aequè de solis custodum mulieribus liberisque ac de omnibus accipi potest. Difficultas tamen omnino tollitur addito illo: καὶ πᾶσαν παιδείαν, quia educatio communis, qua fruebantur custodes, et quae tot tantarumque artium requirebat cognitionem, ceteros cives amplecti non poterat, qui agriculturae artibusque illiberalibus operam dantes nullo modo cultioris illius educationis poterant esse participes. Et quoniam in eadem periodo et de communione mentio fit et de educatione, quae custodes tantum spectare potest, inde efficere licet etiam de custodum tantum communione hic esse sermonem 1).

1) Plures etiam loci afferri possent, quae nostram tuentur opinionem, praesertim hic, qui legitur Rep. V, p. 461. E. Ἡ μὲν δὴ κοινωνία, ᾧ Γλαύκων, αὐτὴ τε καὶ τοιαύτη γυναικῶν τε καὶ παιδῶν τοῖς φύλαξι σοι τῆς πόλεως: ubi expressis verbis communionem istam custodes tantum spectare se dicit. Conferatur locus celeberrimus Rep. IV, p. 419. E. 420 A, ubi verbis τουτοὺς τοὺς ἄνδρας sine dubio custodes, de quibus hucusque tantum dixerat, significat, et Rep. V, p. 464. A. Ἐὰρ οὖν τούτων ἀτία πρὸς τῇ ἄλλῃ καταστάσει ἢ τῶν γυναικῶν τε καὶ παιδῶν κοινωνία τοῖς φύλαξι; In Timaco quoque, ubi repetit quae de Republica cum amicis disputaverat, custodes a ceteris civibus se distinxisse (χωρὶς διελόμεθα) fatetur, iisque communes praescripsisse uxores liberos et mercedem (Tim. p. 17 C, 18 B—D).

Postquam igitur ostendimus quam civium partem communiōne ista uti voluerit Plato, jam inquiremus qualis haec revera futura sit, ac philosophum cum Adimanto rogemus num custodes beatos sit redditurus.

Dominium nullum habebunt custodes nisi quantum summa necessitas requirat, veluti vestem 1). Tentoriis utentur non magnificis sed militiae idoneis, quae hiemis et aestatis arceant molestias 2). Nullius domus neque cella clausa sit, sed talem victum a ceteris pro custodia sua nanciscuntur, qualis fortes temperantesque decet milites. Nec abundantia nec egestas erit, et sicut milites in castris sussitia habebunt 3). Aurum humanum contemnent, quod aurum divinum in animis habent 4). Si vero suos agros, domus, pecuniam

---

Nobiscum consentit STALLBAUMIUS in Praef. ad Plat. p. LXXIII: »Plato tantum militibus sive custodibus bona communia esse voluit» et SUBRE, Histoire du Communisme ou Réfutation historique des Utopies socialistes. Paris 1849, p. 23. »Platon aurait. . . . relégué dans la classe intérieure le principe de la propriété individuelle.» Plures rem obiter tractant. Aristoteles de re dubitat in Politicorum libro II. 1, quod ostendit eum ad haec minus diligenter attendisse.

1) *Ἡρώτων μὲν οὐσίαν κεκμημένον μηδεμίαν μηδένα ἰδίαν ἂν μὴ πάση ἀνάγκῃ.* Rep. III, p. 416. D.

2) *Χειμῶνος τε στέγειν καὶ θεῖρας ἱκανάς.* Rep. III, p. 415. D.

3) Rep. III, p. 416. E.

4) Rep. III, p. 416. D. E.

possiderent, *οιζονόμοι* forent et agricolae, non custodes, et despotae ceterorum civium evaderent, non adjutores 1).

Ipsius Platonis verba huc fere redeunt: »Nos vero hos terra satos homines armemus, et magistratuum ductu in lucem producamus. Ubi vero prodierint, explorent ubi sit opportunissimum castra ponere, ut eos, qui in republica versantur, coerceant, si quis nolit legibus obtemperare: externos vero propellant, si quis hostili animo invadat infestus republicae aequae ac lupus in ovile. Ubi vero castra metati fuerint et sacrificaverint, parent sibi tentoria, quae possint hiemis et aestatis injurias arcere, militaria, non opulenta 2). Providendum enim est ne, quum benigni socii erga cives esse debeant, immanibus et feris dominis similes fiant. Ad illam autem disciplinam atque institutionem quilibet sano iudicio praeditus agnoscat habitationem reliquumque vitae cultum et victum, opes (videlicet) et divitias accedere debere ita comparatas, ne optimi custodes esse desinant, neve insolentant atque injuriis ceteros afficiant. Animadvertite igitur an oporteat eos sic instructos esse debere in omni vivendi et habitandi ratione, ut nihil proprium et peculiare possideant, nisi summa

---

1) Rep. III, 417. B, Conf. J. L. DE GEER, Diatribe in Politices Platonicae principia. Traj. 1810, p. 177.

2) Στρατιωτικός γε, ἀλλ' οὐ χρηματιστικός.

urgeat necessitas. Deinde neque domum neque cellam habeant, quo non omnibus pateat aditus. Eorum vero, quae ad victum pertinent, tanta sit apud eos copia, quanta homines militares, temperantes nimirum fortesque indigent. Ab aliis vero civibus ex pacto et convento tantam accipiant custodiae mercedem, quanta ad annum victum neque desit quid neque superfluat 1). Porro ad communia convivia (*ξυσσίτια*) conveniant: et perinde atque in castris communiter cum suis vivant. Ipsis vero hoc inculcandum aurum et argentum idque divinum et augustum se in animis habere: quare humano auro vel argento minime indigeant; neque sanctum esse piurve divini illius auri possessionem humani istius pollui admixtione, quandoquidem ex humano illo et vulgari auro multa nefaria contigerunt: at augustum illud et divinum aurum, quod illi possident, omni contagione purum est. Itaque constituendum esse inter eos omnes, qui in civitate versantur, solis magistratibus nefas esse aurum vel argentum tangere et tractare, aut sub tectum suum congerere, aut ad vestitus ornamentum circumferre, aut ex auro vel argento bibere. Ita demum et sibi et civitati salutare erunt. At quum vel agrum proprium vel domos vel pecuniam possidebunt, erunt nimirum ipsi tanquam

---

1) Ὅσον μήτε περιεῖναι αὐτοῖς εἰς τὸν ἐνιαυτὸν μήτε ἐνδεῖν  
Rep. III, p. 416. E.

oeconomi vel coloni 1), et cum custodes reipublicae esse debeant; ceteris contra civibus domini et hostes pro sociis erunt, alios odio prosequuntur, et ipsi erunt odio ceteris. His igitur omnibus de causis constituamus reipublicae custodes ita comparatos esse oportere, uti nec opibus neque aedificiorum apparatu abundant, quemadmodum explicavimus.”

Totum paene dedimus locum, quia universam fere doctrinam Platonis 2) de communione ista bonorum continet idemque acerrimam prodit auri contemptionem, e solito errore antiquorum philosophorum, qui pecuniam semper materiem malorum habebant. Laetamur igitur oeconomiae

---

1) Οἰκονόμοι μὲν καὶ γεωργοὶ ἀντὶ φυλάκων. Rep. III, p. 417. B.

2) Inter recentiores homines, qui Platonis doctrinas in civitate perfecta fingenda secuti sunt, praecipuus est THOMAS MORUS, qui, calamitatibus, quibus nunc premuntur homines, expositis, novam insulam fingit Utopiam, ubi vita erit communis, labor colonorum et coena communis, neque ullum valorem habebit aurum vel argentum. Mulierum vero respuit communionem, connubii institutum servat, matribus puerorum alendorum tribuit curam, adulterium prohibet, ac, ne decipiantur sponsi sponsaeque, nudi se invicem adspiciunt. Vid. THOMAE MORI Liber vere aureus de Optimo Reip. Statu deque nova insula Utopia. Lovanii 1548. Quanto honore liber habitus sit ab aequalibus cognosci licet ex Epistola ERASMI ad Frobenium 8 Cal. Sept. a. 1517, atque ex Epistola BUDAEI ad Lapsetum pridie Cal. Aug. DE CAMPANELLA, MORELIO, ceterisque communitatis fautoribus aevi recentioris vid. omnino SEBRE, Hist. du Comm.

politicae progressibus recentioris aevi, quae magnam pecuniae utilitatem clare demonstravit, sine qua commercium nullum foret inter populos sub coelo diverso habitantes neque unquam sapientia Orientis ad ultimas terrarum oras esset perlata. Neque semper divitiae sunt, quae homines corrumpunt. Num patres nostri, qui industria et parcimonia magnas opes sibi quaesiverant, num, quaeso, aequalibus suis, Franciae incolis, bellis intestinis et aulae luxuria exhaustis, nequiores erant? Num Hiberniae incolae pecudum instar viventes, omnibus rebus paene destituti, quae ad vitae utilitatem et jucunditatem pertinent, vicinis Anglis, divitiis aequae ac humanitate excellentibus, sunt anteponendi? Abusus tantum divitiarum homines corrumpit. Luxus, qui divitiarum est consummator, parricidas, latrones, moechos parit. Stetit Roma omnesque populos vicinos sibi subegit, dum Cincinnatus suapte manu aratro agros vertit, dum Curius Dentatus coloni dapibus vescebatur, contra a summo splendoris culmine collapsa est, postquam Lucullus deliciis aulae Orientalis Romae frui coepit, Crassus uno convivio divitias regales fere consumpsit. Athenae priorem magnificentiam et imperium non amiserunt quod sociorum vectigalia et tributa nimias illuc contulerant opes; sed quod fructibus illis aliorum industria partis civitas sine ulla temperantia abutebatur plebique pecuniam largiebatur, ut theatra frequentaret,

quae res opificum manus a labore avertit eos  
que pro industria docuit inertiam et πολυπραγ-  
μοσύνην 1).

Sine divitiis nulla humanitas unquam fuit, nec  
unquam futura est. Quamdiu omnes cives ipsi  
occupati sunt in iis rebus sibi comparandis, quae  
ad vitam sustentandam sunt necessariae, de vi-  
tae cultu humaniore cogitari nequit. In memoriam  
revocemus historiam coloniarum, et satis argu-  
mentorū habebimus, quae nostram opinionem  
tueantur. Auctis vero civitatum divitiis semper  
erunt, qui artium illiberalium quaestu carere po-  
terunt, qui aratrum deserent ut in Academiae  
spatiis se conferant et humanitatem discant 2).

Socrates postquam plura de custodum educa-  
tione et civitatis institutione disputavit, ab Adi-  
manto rogatur, ut antequam pergat, sententiam

1) De vera pecuniae natura et effectu vid. A. SMITH, An Inquiry into the Nature and Causes of the Wealth of Nations. London 1776, I, p. 27 seqq. J. B. SAY, Traité d'Economie politique etc. Paris 1841, p. 240. Idem, Cours complet d'Economie politique. Brux. 1843, p. 176. J. R. M<sup>c</sup>. CULLOCH, The Principles of Political Oeconomy. Edimb. 1843, p. 126. J. S. MILL, Principles of Political Oeconomy. London 1848, II, p. 3 seqq.

2) Vid. omnino J. R. M<sup>c</sup>. CULLOCH, A Discourse on the rise, progress, peculiar objects and importance of Political Oeconomy. Edimb. 1824: »A poor people" inquit, »are never refined, nor a rich people ever barbarous," p. 4.

suam de communione uxorum, vel potius mulierum, profiteatur. Tergiversatur philosophus: veretur enim, ne res, quae omnium divinatorum humanorumque jurium vim frangeret, ceteris hominibus, philosopha mente parum praeditis, absurda videatur. Tandem amico instanti morem gerit, docetque mulieres eadem educatione ac viros uti debere, quemadmodum feminae brutorum eodem modo ac mares educantur 1).

Differunt tamen mulieres a viris. Imo. Viribus tantum, non indole. Bestiarum quoque feminae maribus sunt debiliores et tamen eadem utuntur educatione. Omnibus quippe in rebus mulieres viris sunt inferiores, neque tamen iis denegantur artes muliebres quamvis nemo dubitet quin viri his quoque artibus longe mulieribus praecellant. Sunt enim mulieres, quae musicam ament, sunt quae eam odio habeant: quidni de philosophia idem valeat? Optimae semper eligentur, quo facto sine dubio fieri poterit, ut mulieres eadem ac viri fruantur educatione, easdemque artes discant, quae nunc virorum propriae habentur. Ita enim omnes cives meliores fiant necesse est. Doccantur igitur artem musicam, gymnasticam, bellicam. Neque obstat pudori, ut mulieres in ludis gymnasticis nudo corpore se exerceant. Qua in re nihil ridiculi

1) Rep. V, p. 449—453.



reperimus dummodo meminerimus primos quoque athletas nudos a plebe derisos esse 1).

Porro mulieres ac liberi omnibus custodibus sint communes. Vitam ergo domesticam tollit philosophus. Vincula solvit amoris perpetui, fidem conjugalem contemnit, infantes a matribus avellit ut orborum instar publico sumptu a nutricibus educantur. Mirum paradoxon ex ore profectum illius, qui aliquando amorem tam praeclaris laudibus extulit, eumque habuit ducem, qui nos ad boni et pulchri evehat cognitionem 2). Nec tamen ii sunt audiendi, qui Platonem habent auctorem ejus doctrinae, quae homines pecudum instar misceri vult, quae non tantum vincula cognationis rumpit, sed principium adeo humanitatis, pudicitiam inquam, respuit. Conjunctio enim, qualem in optima sua civitate esse vult, breve quamvis sit consortium vitae, tamen ab effrenata ista licentia, quam *promiscuitatem* dicunt recentiores, toto coelo differt.

1) Rep. V, p. 453—455.

2) Celsiorem amorem quam illum, quo vulgus hominum utitur, Platonem in Symposio spectasse nos non latet. Sed ipsum illum amorem celsiorem in Platonis desideramus republica. Voluptatem ex liberorum procreatione perceptam, civibus relinquit. *harmoniam* vero animorum, qua missa omni cupiditate vulgari, nihil nisi verum, bonum et pulchrum in alterius animo appetimus, rejecta vita domestica e republica sua excludit. Ubinam amicitiae, amoris inter mares, quam praesertim in symposio spectavit, locus esse poterit, si ne arctioribus quidem cognationis parcutur vinculis?

Quemadmodum bonorum, ita mulierum quoque communio ad custodes tantum pertinebit, id quod tam e locis jam supra allatis patet quam ex eo, ubi philosophus ipsas illas mulieres nomine *φυλάκιδας* appellat 1) atque addidit: *Τὰς γυναικας ταύτας τῶν ἀνδρῶν τούτων πάντων πάσας εἶναι κοινάς, ἰδίᾳ δὲ μηδενὶ μηδεμίαν συνοικεῖν καὶ τοὺς παῖδας αὐ̄ κοινοὺς, καὶ μήτε γονέα ἔκγονον εἰδέναι τοῦ αὐτοῦ μήτε παῖδα γονέα.* Verbis *ἀνδρῶν τούτων* non nisi custodes significare potest, de quibus solis in superiori egerat disputatione. Quales sit illa communio mulierum et liberorum mox docebitur. Nulla enim uxor cum conjuge suo privatim habitabit, sed omnes *φυλάκιδες* omnibus custodibus erunt communes. Conjunctionem brevem viri et mulieris moderabuntur magistratus, quorum auspiciis coitus etiam fiet, nec liberi ex hocce consortio nati veris patribus matribusque adjudicabuntur, sed totius ut civitatis omniumque custodum liberi ignorabunt, cuinam vitae beneficium debeant, et quae fuerit mater, quae partum gravi dolore in lucem ediderit. Neque parentes suos noscent liberos, jam inde a teneris a se divulsos 2).

Jure Adimantus communionem illam repudiat, et intellectu difficile esse profitetur, num fieri pos-

1) Rep. V, p. 457. C.

2) Conf. DE GEER, Diatr., p. 180.

sit, civitatisque sit profutura 1). Socrates autem de rei utilitate vix dubium moveri posse contendit, dummodo probetur eam re vera fieri posse, et quanquam Adimantus ne hoc quidem concedit, Socrates utilitatem tanquam rem omnibus sana mente praeditis perspicuam non amplius demonstrare conatur. Ostendere tantum instituit, quomodo communitio illa effici possit.

Quemadmodum igitur custodes ex optimis eligentur civibus, sic optimae quoque mulieres eligendae, quae cum illis naturali quadam convenientia quam proxime congruant 2). Qui viri et mulieres quum communes aedes et communia habeant convivia una habitabunt, unaque viventes tam in exercitationibus quam in reliquo victu, ingenerata quadam necessitate ad mutuam commixtionem adducentur: ingenerata nempe necessitate amoris 3), qua nulla est efficacior 4). Videant tamen custodes, ne commixtio illa, promiscue, et temere (*ἀτάκτως*) fiat, sed id agant ut conjunctionem illam quam sanctissimam reddant, quippe quae tum demum sanctissima dici poterit, ubi civitati

1) Rep. V, p. 457. D.

2) Καθ' ὅσον οἶόν τε ὁμοφυεῖς, Rep. V, p. 458. D.

3) Rep. V, p. 458. D.

4) Addit Plato: Ὅν γεωμετρικαῖς γε ἀλλ' ἐρωτικαῖς ἀνάγκαις αἰ' ἀνδρνεύουσιν ἐκείνων δριμύτεραι εἶναι πρὸς τὸ πείθειν τε καὶ ἔλκειν τὸν πολὺν λέων. Rep. V, p. 458. D.

quam maximam afferet utilitatem 1). Quum vero in animantibus optima semper cum optimis conjugare solemus, ut optimam inde progeniem percipiamus, sic magistratus quoque multo utentur dolo, ut optimi semper quam plurimos progignant liberos, deterrimi quam paucissimos. Illorum progenies educatione praeclara formabitur, deteriorum contra parentum proles vitae luce indigna habebitur, uti societas quam praestantissima evadat. Quae omnia curabuntur a magistratibus, ceteris insciis, ne forte seditio inter custodes oriatur 2).

Conjunctio virorum et mulierum, qualem mente sibi finxit philosophus, breve erat vitae consortium 3), diebus festis circumscriptum, ideoque medium fere tenebat locum inter justum connubium, praeclarum illud institutum civitatum humaniorum, quod genus humanum a pecudum gregibus secernit, et inter promiscuum, quem appellant coitum, venerem vulgivagam 4). Festis enim diebus sponsi sponsaeque congregabuntur, atque hymenaei et sacra instituentur, quae commixtioni speciem quandam dabunt sanctitatis 5). Magistratus numerum ma-

1) Γάμους ἰεραὸς εἰς δύναντιν ὁ τι μάλιστα. Rep. V, p. 458. E.

2) Rep. V, p. 459. A—D.

3) Unions annuelles. SEDRE, Hist. du Comm. p. 23.

4) Promiscuité.

5) Rep. V, p. 459. E.

trimoniorum illorum moderabuntur et videbunt, ut idem semper numerus custodum conservetur, morbos, bella, aliasque computantes calamitates, quae generi humano impendent, civiumque multitudinem diminuunt. Curae igitur illis erit, ne civitas nimis aut crescat numero aut decrescat, ne major aut minor sit praeter modum 1). Sortitione quadam utentur subdola (*χομψή*), ne deteriores, ad generandum minus apti, magistratum accusent, si concubitus parum optatus iis contingat, sed ut sorti adversam hanc tribuant fortunam. Praeceptum lepidissimum, cerebro dormitante dignum, quasi aetate jam proveci, nec tamen juventutis voluptates spernentes, infortunio isto semper placide acquiescerent, nec causas sciscitarentur, cur angustis frontibus puellae formosae, sibi vero matronae effoetae sorte semper assignarentur.

Infantes recens nati suscipiuntur a magistratibus, tam ex viris quam mulieribus electis 2), qui validos ab imbecillis et mutilis secernant. Qui ex validis parentibus nati sint et firmis corporibus utantur in domum quandam (*σηκόν*), in remota civitatis parte sitam, recipientur, ubi nutricibus alendi distribuentur; qui vero ex infirmis parentibus nascentur aut si qui membro aliquo mutili erunt, clam e medio sublatis in secreto loco oc-

1) Rep. V, p. 460. A. Addit vero: *κατὰ τὸ δύνατον*.

2) Rep. V, p. 460. B.

cultabuntur, ut custodum genus purum et intamatum servetur 1).

Ipsae matres infantum nutrices erunt simulac mammae turgescunt 2). Semper tamen cavendum erit, ne matres suos ipsarum liberos agnoscant. Aliae mulieres vigilias ceterosque curas erga novam prolem explebunt. Ita philosophus pueros a tenerima inde aetate matrum privat amplexu, quo ne ferarum quidem catuli destituti sunt, matribusque adimit curae suavitatem, voluptatemque vitae conservandae eorum, quos acerrimo cum dolore in lucem ediderunt. Utilitatem civitatis provehere se putat validamque civium progeniem gigni, dum leges violare conatur, quas ipsa natura animis nostris indidit; amorem patriae in iis flagitat, quibus parentum pietatem interdixit; fratrum nomine se invicem compellare vult eos, qui matres ignorabunt, e quibus uterini et consanguinei nati sunt. Quousque tandem progressuri sumus, si viam relinquimus, qua natura, politicarum etiam artium magistra, nos ducit, ac mente nostra novas res concipere conamur, quae veritate destitutae in umbras inanes semper abibunt 3)?

Actas, quae a Platone ad prolem procreandam idonea habetur, in viris cadit inter annum vi-

1) Rep. V, p. 460. C.

2) "Οταν παράγωσι Rep. V, p. 460. D.

3) Vid. F. VON RAEMER, Gesch. Entw. p. 14.

cesimum quintum et quinquagesimum quintum, in mulieribus inter annum vicesimum et quadragessimum 1).

Quicumque leges illas violaverit, impii et nefarii secleris reus erit, quippe qui foetum in civitate serat, neglecta sacrificiorum sive precationum inauguratione, quas sacerdotes singulis in nuptiis peragent 2). Eadem lex de eo erit constituenda, qui quum nondum ad definitam aetatem pervenerit, sine magistratus venia cum ea muliere, quae in ea aetate fuerit, habuerit consuetudinem. Spurium enim, profanum, incestum foetum procreasse censebitur. Sin vero aetatem generationi destinata jam egressi fuerint, tam viris quam mulieribus cum quolibet se conjugare licebit, dummodo caveant ne parentes cum liberis copulentur 3).

Concubitus igitur inter sorores et fratres concedit perfectae ille civitatis conditor. Eousque progrediuntur, qui in principiis semper haerentes, ab his omnia deducere volunt. Unam et consentientem esse voluit civitatem, cui inserviat communio mulierum. Jam vero commixtioni parentum cum liberis obstat natura et fieri nequit quin philosophus quoque eam detestetur. Hanc igitur prohibendam censet, quia aetate discerni potest

1) Rep. V, p. 460. E.

2) Rep. V, p. 461. A.

3) Rep. V, p. 461. B.

qui parentes, qui liberi sint putandi; necessitudo autem inter fratres et sorores cognosci nequit, quamobrem concubitus iis concedatur necesse est. Quis non a tali civitate abhorreret, ubi vincula sanctissima violantur cognationis, ut saluti reipublicae prospiciatur?

Quum vero ex tali concubitu partus concipiatur, in lucem edi prohibebitur, vel jam natus exponitur, quippe cui nullus sit educandi locus 1). Sic igitur legislator, qui cupiditates rationis imperio submittere cupit, infanticidia praescribit abortionesque, iis, qui propter aetatem ad generandam minus apti sunt; connubii tamen voluptates concedit. Videant Platonis sectatores num hac in re sibi constituisse dicendus sit.

Quaeritur porro, qui parentes et liberi habendi sint. Respondet Socrates: *ἀφ' ἧς ἂν ἡμέρας τις αὐτῶν νυμφίος γένηται, μετ' ἐκείνην δεκάτω μηνὶ καὶ ἐβδόμῳ δὴ ἂν γένηται ἔκγονα, κ. τ. ἔ.* Quibus verbis significare videtur eos parentes liberosque censerī, qui pubertatis annis a se invicem distant, additis septendecim mensibus. Patrum et matrum nomine igitur compellabunt eos, qui tot annis natu majores sint; qui vero intra tempus, quo genere patres matresque, nascentur, fratres et sorores a se invicem appellabuntur 2).

1) Ὡς οὐκ οὐσης τροφῆς πῶ τοσοῦτω. Rep. V, p. 461. C.

2) Rep. V, p. 461. D.



Republica talibus legibus constituta, opus suum ipse admiratur legislator, gaudetque futura ejus felicitate.

Bonorum enim communione omnes lites de dominio antevertentur, nec dubium erit de *meo* et *tuo*, ubi nemo aliquid *suum* habebit praeter corpus, sed omnia erunt omnium 1). Discordia nimirum ex eo oritur, si de *meo* et *tuo* cives non consentiant 2). Jam vero, ubi omnes iisdem rebus gaudebunt et dolebunt, sine dubio vinculum quoddam existet inter cives et concordia firmabitur 3). Quemadmodum enim totum corpus dolore afficitur, si unum tantum membrum aliquid patitur, sic tota quoque civitas unius civis doloris particeps erit 4). Inter magistratus et subditos erit vinculum amicitiae. *Δεσπόται* vel *ἄρχοντας* magistratus non dicentur, ut in aliis civitatibus, neque subditi *δούλοι*, sed custodes *σωτῆρες* et *ἐπιζού-*

1) *Δίκαια τε καὶ ἐγκλήματα πρὸς ἀλλήλους οὐκ οὐχίσειται ἐξ ἀδικῶν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, διὰ τὸ μηδένα ἴδιον ἐκτῆσθαι πλὴν τὸ σῶμα, τὰ δ' ἄλλα κοινά;* Rep. V, p. 464. D.

2) *Ὅταν μὴ ἕμα φθέγγωνται ἐν τῇ πόλει τὰ τοιαῦτα ῥήματα, τό τε ἐμὸν καὶ τὸ οὐκ ἐμὸν;* Rep. V, p. 462. D.

3) *Ὀυζοῦν ἢ μὲν ἡδονῆς τε καὶ λύπης κοινοῖα ξυνδέει, ὅταν ἂν τι μάλιστα πάντες οἱ πολῖται τῶν αὐτῶν γιγνομένων τε καὶ ἀπολλυμένων παραπλησίως χαίρωσι καὶ λυπῶνται;* Rep. V, p. 462. B.

4) Rep. V. p. 462. E. et 464. B. Conf. TENNEMANN, Gesch. der Phil. p. 499. »Das höchste Gut des Menschen bestand nehmlich in der Harmonie aller Vorstellungen, Begehungen und Gefühle, u. s. w.»

ροι appellabuntur, qui plebem servorum loco non habebunt, sed ceteros cives appellabunt *μισθοδότας* et *τροφείας* 1).

Inter custodes praesertim arctissima erit necessitudo. Collegas enim patres, matres, fratres, sorores vel propinquos esse putabunt. Neminem alienum habebant. Neque nuda illa appellatione contenti erunt, sed in omni vitae ratione ita se gerent, quemadmodum appellationis illius ratio et dignitas postulat, atque eos, qui parentum locum tenent ea reverentia, cura, obedientia colent, quas lex veris parentibus praestari praecipit 2). Quapropter in hac civitate, quum aliquis civium bene vel male affectus fuerit, uno ore omnes cives clamabunt: Mihi bene est vel mihi male est 3). Quemadmodum bonorum, sic voluptatum quoque et dolorum erit communio, omnesque idem *meum* uno ore dicent 4).

Veremur tamen ne philosophus in vera civitate constituenda gravi errore deceptum se confiteri deberet, si auctam benevolentiam expectaret ab iis, quorum arctissima resolvisset naturae vincula. Quae enim, quaeso, caritas existere posset in civitate,

1) Rep. V, p. 463. C.

2) Rep. V, p. 253. D.

3) Rep. V, p. 463. E.

4) Οὐκοῦν μάλιστα τοῦ αὐτοῦ κοινωνήσουσιν ἡμῶν οἱ πολῖται ὃ δὴ ἕμῶν ὀνομάσουσι; τοῦτου δε κοινοῦντες οὕτω δὴ λήπης τε καὶ ἡδονῆς μάλιστα κοινωνίαν ἔξουσι; Πολυ γε. Rep. V, p. 464. A.

ubi ne matres quidem suos ipsarum liberos unquam cognovissent? Rejecto familiae vinculo, quid superest necessitudinis? Ne amicitiam exstare putemus, ubi amor excluditur, ardens ille animi motus, mortalibus a summo numine inditus, cujus impetu naturali parentes vitam pro liberis devovent, liberi nullam beatitudinem agnoscunt nisi in parentibus reverendis et tota mente admandis.

Recte Adimantus animadvertit custodes tali vitae ratione parum beatos futuros esse, licet eorum munere civitas re vera constet. Nullum enim ex opibus reipublicae ad custodes redit emolumentum. Ceteri cives agros, aedes praeclaras et amplas, lautam suppellectilem possidebunt, diis privata peragent sacra, hospites excipient, auro, argento omnibusque abundabunt, quae ad felicitatem conferunt; custodes autem, tanquam auxiliares quidam mercede conducti, otiosi desidebunt, nihil aliud, nisi civitati invigilantes. »Imo, respondet Socrates, haec quoque adde incommoda, ut victu solo contenti sint, neque praeter victum aliud quid mercedis causa requirant, sicut ceteri solent artifices, neque iis liceat, si velint, privatorum negotiorum causa peregre proficisci, neque meretricibus largiantur, aliisve modis pecuniam impendant, sicut reliqui divites, qui beati habentur 1).» Contendit

---

1) Rep. IV, p. 419. A.

vero civitatem non ideo condi ut pars tantum civium prae ceteris beata sit: salus enim universae civitatis spectatur 1). Cunctos beatos reddere conatur legislator, neque beata civitate paucos intelligit selectos, sed totam rempublicam, in qua omnes salute fruuntur 2). Ceteris civibus etiam jus aliquod est in custodes propter egregiam, qua illi fruuntur, educationem, quippe qui ab artibus et opificiis illiberalibus vacui toto animo philosophiae dare se poterunt. Quid mirum igitur si populus postulat ut pro accepta educatione a ceteris bonis abstineant, omnemque curam adhibeant in civitatis salute custodienda?

Errant igitur, qui 3) putent ceteros cives servorum instar habendos esse. Custodes enim a negotiis privatis gerendis non liberabuntur, ut dulci otio fructus consumant alieni laboris, sed educatione celsiori utentur, ut aptissimi evadant reipublicae magistratus, qui quam maxime omnium civium salutem prospicere possint 4). Magistratuum

1) Vid. STAHL, Phil. des Rechts, p. 18. F. AST. Platons Leben und Schrifte, Leipzig 1816, p. 324.

2) Rep. IV, p. 420, B. C. οὐ μὴν πρὸς τοῦτο βλέποντες τὴν πόλιν οἰκίζομεν, ὅπως ἐν αὐτῇ ἡμῶν ἔθνος ἔσται διαφερόντως εὐδαιμον, ἀλλ' ὅπως ὅτι μάλιστα ὄλη ἡ πόλις. . . . νῦν μὲν οὖν, ὡς αἰόμεθα, τὴν εὐδαιμόνα πλάττομεν οὐκ ἀπολάβοντες, δλίγους ἐν αὐτῇ τοιοῦτους τινας θέντες, ἀλλ' ὄλην. Conf. Rep. VII, p. 520. A.

3) Cum SUDRE aliisque.

4) Vid. F. VON RAUMER, Gesch. Entw. p. 14.

munera sibi non optabunt, quia nullum afferunt lucrum, sed iis fungentur, quasi onus sibi impositum sit 1). Quod nisi fiat, iis magistratibus similes erunt, quales nunc civitates administrant; et pauperes, lucri illecebris impulsivi, rerum publicarum administratione potentur, simulac publici honores privatam afferunt utilitatem, neque pro onere habeantur. Quum vero res eo delabatur, ut munera publica expetantur, inopes homines, propriis bonis destituti, ad rempublicam accedent, et de principatu dimicabitur bellumque exoriatur domesticum et intestinum, tam eos, qui de imperio certant, quam universam adeo civitatem pessumdatum discordiis civilibus 2). Quodsi igitur genus hominum quaeramus, quod imperia civilia contemnat, vix ullum reperiemus, nisi ad eos nos convertamus viros, qui maxime valeant illarum rerum prudentia, quibus optime geritur respublica, quique alios honores publicis illis meliores in se habeant; nisi videlicet reipublicae administrationem veris philosophis tribuamus 3).

Haec sunt, quae de Platonica illa communiione bonorum, mulierum et liberorum dicenda ha-

---

1) Rep. VII, p. 520. E. Παντός μὲν μᾶλλον ὡς ἐπ' ἀγαγκαίων αὐτῶν ἕκαστος εἶσι τὸ ἄρχειν, τοῦναντίον τῶν νῦν ἐν ἐκάστῃ πόλει ἀρχόντων.

2) Rep. VII, p. 521. A.

3) Rep. VII, p. 521, B. C.

huimus. Ad custodes tantum eam spectare jam antea planius exposuimus. Attamen, quamquam ceteros cives communioni illi eximere videtur, apud hos quoque nimias divitias aequae ac paupertatem arcerere conatur, custodibusque mandat officium, ut tam opes nimias quam egestatem antevertant. Docet enim artifices divitiis et paupertate corrumpi 1). Figulus, qui dives evaserit, figulinam amplius exercere nolet. Pigrior nimirum et negligentior atque adeo pejor evadet figulus. Si contra propter inopiam instrumentis et reliquis ad artem exercendam necessariis rebus careat, deteriora opera perficiet, et filios suos vel quoscunque docebit, deteriores reddet artifices. Illud igitur custodibus etiam observandum erit, ut caveant, ne divitiae et inopia, si clam in civitatem irrepserint, perniciem afferant. Divitiae enim mollitiam, inertiam et novarum rerum studia ingignunt: inopia vero illiberalitatem parit et malificiorum faeces accendit 2).

Quamquam igitur jus dominii non plane tollit, viam tamen ingreditur, cujus finis ad bonorum ducit communitatem, doctrinam exitialem, quae jus in res alienas agnoscit. Simulatque a stricto jure dominii paululum declinaveris, nulla amplius

1) Ὑπὲρ ἀμφοτέρων δὴ, πενίας τε καὶ πλοῦτος, χεῖρω μὲν τὰ τῶν τεχνῶν ἔργα, χείρους δὲ αὐτοί. Rep. IV, p. 421. E.

2) Rep. IV, p. 421. D. E.

erit stabilitas rerum acquisitarum. Sensim sensimque indulgebatur studio naturalis aequalitatis 1), quae dicitur; jus dominii, principium humanitatis, communitati cedit, et homines, multorum seculorum spatio e feritatis caligine ad lucem justitiae evecti, in barbariem revertentur 2).

1) Sunt qui contendant leges illas, quae aequiorem possessionum divisionem suadent, omnino esse probandas, dummodo eas exsequi possimus. Sed perversa est opinio, quae veram regiminis naturam non agnoscit. Imperantis enim est defendere possessiones jure acquisitas, non vero eas distribuere. Agrorum aequa divisio ab imperante instituta in gravem abit injustitiam, atque intolerabilis evadit tyrannis.

2) Vid. M. A. THIERS, de la Propriété, Brux. 1848, t. I.

## CAPUT SECUNDUM.

PLATONIS IPSIUS DE HISCE DOCTRINIS SENTENTIA.

Opus de Republica omni aevo Platonis sectatores, qui summa admiratione eum prosequuntur, non exigua affecit molestia. Dolebant quippe mira illa philosophi somnia, quae quamvis omnibus modis excusare conarentur, eorum tamen absurditatem omnino negare vix ausi sunt.

Supervacaneum igitur non erit quaerere, quid ipse Plato de commentitia hac civitate senserit. Quapropter ipsam rempublicam paullisper relinquamus Timaeumque rogemus, quid Socrates 1) in sermone postridie habito de perfecta illa civitate judicaverit.

A Timaeo rogatus Socrates paucis reminiscitur, quae heri docuisset, quo firmius ea mente

---

1) Cujus personam Plato fert in hocce dialogo ut in Rep. et pluribus aliis.



inhaereant 1). Disputasse se dicit de optima republica et qualibus ex hominibus constaret. Agricolas omnesque alios artifices distinxit ab eo genere hominum, penes quos reipublicae domi et belli cura erit 2). In memoriam revocatis iis, quae de custodum officiis, educatione, communione bonorum mulierum et liberorum, de procreatione, de liberis exponendis, cet., disputaverat 3), deinceps proficitur, quo animo ipse affectus sit erga illam, quam descripsit, rempublicam.

»Rem similitudine illustrabo, inquit, veluti si quis pulchra animalia conspiciatur vel pictura efficta, vel viva quidem sed quiescentia, et cupiditate accendatur, ut illa moventia et inter se quasi certatim agentia imitari eos motus videat, qui corporibus maxime congruant, tali ego animo erga rempublicam illam, quam descripsi, sum affectus 4). Lubenter enim audierim aliquem certamina exponentem, quibus descripta a me civitas cum ceteris civitatibus contendat, quam apte et convenienter ad bellum proficiscatur, et in militia ea praestet, quae tali educatione et disciplina sint digna; quam apte item in rebus administrandis, et in verborum commerciis cum aliis ci-

1) TIMAEUS, p. 17. B.

2) TIMAEUS, p. 18. C.

3) TIMAEUS, p. 18. A—E.

4) *πεπορθως ευχάανο* TIMAEUS p. 19. B.

vitatibus ea gerat, quae eidem illi disciplinae convenient" 1).

Significat his de tali civitate se loquutum esse, quam veluti imaginem intuendam proponeret. Cupit enim optimae reipublicae imaginem quasi motuentem et viventem videre, veluti si quis pulchra animalia depicta cernens, desiderio tenetur imaginibus illis motum vitamque addendi.

Neque tamen ad alium dialogum respiciamus necesse est, quum in ipsis de Republica libris satis argumentorum reperiamus, unde philosophi sententia de optima illa civitate dilucide appareat.

Rempublicam, qualem finxit 2), re vera exstare non posse, docere videtur eo loco, ubi Adimanto roganti, ut ostenderet, quatenus talis reipublicae forma re vera existere possit, respondet: »Meminisse oportet, nostrum sermonem hactenus in eo versatum esse, ut quaereremus, quid sit justitia et injustitia 3), hujusque sermonis vestigiis ductos nos ad hanc esse delatos disputationem de re-

1) TIMAEUS, p. 19. B. C.

2) De proposito Platonis in Rep. scribenda conf. C. T. WELCKER, Die Letzte Gründe, von Recht, Staat und Strafe, Gieszen 1813, p. 433.

3) Οὐκοῦν πρῶτον μὲν χρὴ τὸδε ἀναμνησθῆναι, ὅτι ἡμεῖς ζητοῦντες δικαιοσύνην οἷον ἔστι καὶ ἀδικίαν δεῦρο ἤκομεν. Rep. V, p. 472. B. Idem locus sententiam propugnare videtur eorum, qui Platonem in hoc libro de justitia 1) praecipue scripsisse putant,

1) Quid Plato idea justitiae intellexerit, ostendere conatus est v. BAUMER, Gesch. Entw. p. 4. seq.: „Ihr Ausdruck ist bloß objectiv: το δίκαιον

publica. Quaesivimus nempe quid sit justitia et qualis vir sit, revera justus, si exstet uspiam inter mortales 1)."

Quo melius enim noxias et perversas de justitia et injustitia opiniones a Glaucone et Adimanto expositas refelleret Socrates 2), justitiam justumque virum in perfecta civitate intueri instituit, ubi verae justitiae improborum facinoribus non struerentur insidiae. Virum autem perfecta illa justitia praeditum (*τέλειως δίκαιον*) non facile posse reperiri, verbis ἢ γένοιτο καὶ

republicam vero ἐν παρέργῳ tantum tractasse. Lubenter fatemur nos huic Morgensternii opinioni propter ipsius Platonis allatum iudicium magnum pondus tribuere. Hoc vero argumentum quum a nostra disputatione alienum sit, rem tetigisse satis est. Morgensternium refutare studet G. F. RETTIG, Prolegomena ad Platonis Rempublicam. Bernae 1845, p. 32 seqq.

1) Παρὰ δειγματος ἄρα ἕνεκα, ἐζητοῦμεν αὐτὸ τε δικαιοσύνην οἷον εἶναι, καὶ ἄνδρα τὸν τέλειως δίκαιον ἢ γένοιτο καὶ οἶος ἂν εἶη γενόμενος, Rep. V, p. 472. A.

2) Socrati enim justitiam laudanti, quam sapientiam esse dixit, Glauco contradixerat contendens justitiam esse molestam; addidit Adimantus, injustos fortuna secunda gaudentes honoribus affici deosque donis et sacris sibi propitios reddere posse.

---

bezeichnet den Zustand des Rechtsverhältnisses als schon gesetzt, und drückt die bestimmte Ordnung der Dinge oder vielmehr der Menschen aus, worin sie sich gegenseitig begegnen, und einer nicht in das Gebiet des Zweiten hinüberschreiten kann. Diese Ordnung betrachten sie (Plato und Aristoteles) als etwas Ursprüngliches, nicht etwas durch die Befugniss des subjects Bewirktes, wie beim *Jus*. etc." Conf. etiam WELCKER Letzte Gründe, p. 431. et STAHL, Phil. des Rechts, p. 10: „Gerechtigkeit ist daher bei Platon keine Regel oder ein System von Regeln, sondern das volle Bild eines mannigfachen durchaus bestimmten Handelns u. s. w." Vid. porro TENNEMANN, Gesch. der Phil. p. 431.

οἷος ἂν εἴη γινόμενος aperte significat; hic autem si numquam reperietur, civitas etiam perfecta numquam exstare poterit, quae ut perfectis hominibus constet ipsius natura plane postulat.

»Numquam, inquit, res talis effici potest, qualem verbis fingere possumus, sed natura res humanae ita comparatae sunt, ut actio minus quam oratio ad veritatem accedat, licet alicui secus videatur. Quapropter ne me coge civitatem, qualem oratione exposui, reapse effectam monstrare” 1). Glauconem igitur rogat, ut contentus sit, si investiget qualis reipublicae forma orationi quam proxime accedat, ut fateri possit, se modum reperisse, quo praecepta data effici possint; deinceps se exploraturum dicit, quae causa sit, cur rerum publicarum praesentis temporis tam infelix sit conditio 2).

Ex omnibus igitur locis modo allatis videmus quantopere a veritate aberrent, qui Platonem putent hoc in libro exemplum dedisse civitatis, qualem generi humano praescribendam censeret. Philosopho, qui per totam paene vitam in animo

---

1) Τῷ ἔργῳ γινόμενα ἀποφαίνειν. Ἐφ’ οἷον τε τι πραχθήναι ὡς λεγεται, ἢ φύσιν ἔχει πράξιν λέξεως ἤτοι ἀληθείας ἐφαπτεσθαι κἂν εἰ μὴ τῷ δοκεῖ; ἀλλὰ σὺ πρότερον ὁμολογεῖς οὕτως ἢ οὐ; Ὁμολογῶ, ἔφη. Rep. V, p. 473. A.

2) Ἄλλ’, εἰάν οἱσι τε γινώμεθα εὐρεῖν ὡς ἂν ἐγγύτατι τῶν εἰρημένων πόλις οἰκῆσθε, φάναι ἡμᾶς ἐξευρημένα, ὡς δυνατὰ ταῦτα γίγνεσθαι, ἃ σὺ ἐπιτάττεας. Rep. V, p. 473. A.

studiisque humanis investigandis occupatus fuerat, satis perspecta erat humana imbecillitas, ut agnoscere posset, perfectam illam rempublicam, ex mundo idearum depromptam, moribus hominum et cupiditatibus parum esse aptam. Ipse igitur fatetur se perfectam civitatem ideo tantum finxisse 1), ut ostenderet, quanta felicitate vir justus frueretur, dummodo ne malorum civium fraudibus esset ludibrio. Poëtis omnem fingendi licentiam damus; quidni philosopho concedatur ut in coelum idearum escendat, unde nova lucis semina

---

1) Quid Plato in ficta illa spectaverit republica, qualem ipse hominibus parum idoneam arbitrabatur, indagavit STAHL, Phil. des Rechts, p. 12 seq.: »Die Nachbildung Platons nach seinem Urbilde oder einer anderen nach seiner Republik ist denn auch völlig verschieden von der nach abstrakten Begriffen und nach den neuern Staatslehren. Die letztere kann man die Nachbildung der Rube, die erstere die Nachbildung der That nennen. . . . Derselbe Geist, dieselbe Wirkung musz in dem Nachgebildeten herrschen, wie im Vorbilde. . . . Die Frage nach der ausführbarkeit is das unpassendste Maasz, das man an die Republik des Platon legt. Denn nicht dasz diese Gesetze buchstäblich, wie er sie entworfen, in einem Staate ausgeführt werden sollten, ist der Sinn, sondern das ein wirklicher Staat denselben Geist in sich trage, dieselbe Gesinnung bei seinen Bürgern erzeuge und durch seine Einrichtung denselben Eindruck auf der Beschauenden übe, wie der von ihm entworfen. Dieses ist ausführbar, und wenn est nicht in dem Grade erreicht werden könnte, so stände doch dem nichts im wege, dasz, die Staaten ihre Einrichtungen so treffen müszten, um sich ihm zu nähern.“ Veremur tamen ne STAHLIUS quoque nimio Platonis laudandi studio plus sapientiae philosopho tribuerit, quam ipsa ejus scripta ostendant.

mentibus nostris afferre conetur? Caveamus autem ne vera cum fictis misceantur, neve philosophum revera in vitam introducere voluisse putemus, quae solum tanquam exemplar aliquod nobis proposuit.

De perfecta illa civitate non omnino tamen desperat, dummodo philosophorum genus aliquando regni teneat habenas. Philosophi praeesse debent reipublicae 1). Conditio haud sane levissima, quae omnem futurae illius civitatis spem auferre nobis videtur. Tamen, inquit, antea quam germanum philosophorum genus principatum obtineat, nulla neque civitati neque civibus malorum requies est speranda, nec prius respublica, qualem descripsimus, revera constabit 2). Quamquam vero fa-

---

1) Conf. WELCKER, letzte Gründe, p. 435: »Als Regenten des Staates nennt Platon in der idealen Staatsform die Philosophen, göttliche von keiner niederen Begierde beherrschte Männer, welche den weisen unsterblichen Göttern näher stehen, als den Menschen, das Göttliche rein sehen, und wollen, welche daher durch kein Gesetz gebunden und beschränkt sind, sondern nach freier Hinsicht der Bedürfnissen des Augenblickes gemäsz weise und königlich herrschen, u. s. w.« STAHL, Phil. des Rechts, p. 16: »Diese (custodes) durchdrungen von der Grösze des Ideals und keines eigensüchtigen Willens fähig, werden der ganzen verschlungenen Bewegung den beseelenden Rhythmus ertheilen. In ihnen ist der Gipfel des Platonischen Staats erreicht, gleichsam eine unausgesetzte begeisterte Andacht, mit der die Menschen die Idee des Guten in der Herrlichkeit des Staates, den sie bilden, und welcher sie darstellt, anbethen.« TENNEMANN, Gesch. der Phil. p. 517 seqq. TH. MORUS, litteratos tantum magistratus esse vult, Utopia p. 96.

2) »*Ετι οὖν ἀγγραινοῦσι λεγόντων ἡμῶν, ὅτι πρὶν ἂν πόλεως*

tetur dubitandum esse an unquam regum filii natura philosophi nasci possint, et quamvis omnes facile agnoscant filios regios facile corrumpi, nec sine magna difficultate integros posse servari, verisimile tamen non putat, neminem illorum unquam omni aevo salvum fore 1). Quodsi talis aliquis princeps leges atque instituta, qualia proposuit, populo suadebit, tum fieri posse contendit, ut cives iis obtemperare velint 2).

Ne tamen putemus, tempus illud, quo genus philosophorum principatu potiturum sit, haud procul abesse, satis erit breviter commemorare, quae Plato in philosopho requirat. Discant nimirum arithmetica 3), geometria 4), stereometria, astronomia 5), musica 6), lectica 7); sint diligentes, temperantes, moderati, justi, suaves, dociles, magnanimitate ac fortitudine excellentes 8);

---

*τὸ φιλόσοφον γένος ἐγκρατὲς γένηται, οὔτε πόλει οὔτε πολίταις κακῶν παῦλα ἔσται, οὐδὲ ἡ πολιτεία, ἣν μῦθολογοῦμεν λογῶν, ἔργῳ τέλος λήφεται; Rep. VI, p. 501. E.*

1) *Ὡς δὲ ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ τῶν πάντων (βασιλέων ἐκγόμων) οὐδέποτε οὐδ' ἂν εἰς σωθείη, ἔσθ' ὅστις ἀμφοιβήτησει; Rep. VI, p. 502. A, B.*

2) Rep. VI, p. 502. B.

3) Rep. VII, p. 521 C.—526. C.

4) Rep. VII, p. 526 C.—527. C.

5) Rep. VII, p. 527 D.—530. C.

6) Rep. VII, p. 530 C.—531. E.

7) Rep. VII, p. 531 B.—532. B.

8) Rep. VI, p. 484—487.

veritatem ament; bonis utantur moribus; usum discant et artem rerum bellicarum, tam terrestrium quam navalium per quinque annos 1). Ita doctrina et experientia instructi quinquagesimo demum aetatis anno summum capessant imperium, omnia ad ideam boni conforment, et alternis vicibus 2) muneribus fungantur, ut reliquum tempus philosophiae studere possint 3). Haec quum omnia in philosopho requirantur, ut aeternas rerum species et formas cognoscat animoque intueatur, veritatis ac justitiae habeat notionem, et, quemadmodum legibus superior habitus est, dignum se praebat qui nullis legibus teneatur 4), non est quod miremur, genus philosophum hucusque paucos habuisse sectatores, dignos qui tenerent reipublicae gubernacula 5).

---

1) *Ἐμπειρία μὴδὲν ἔλλειποντας*. Rep. VI, p. 484. E.

2) Rep. VII, p. 539 seq.

3) Rep. VII, p. 521 C.—532. B.

4) Vid. DE GEER, *Diatr.* p. 169 et STAHL, *Phil. des Rechts*, p. 11: »Weise Menschen sind mehr werth als weise Gesetze, so urtheilt jeder slichte Mann.“ Conf. TENNEMANN, *Gesch. der Phil.* p. 279 seqq.

5) De indole educationis magistratum vid. v. RAUMER, *Gesch. Entw.* p. 5. STAHL, *Phil. des Rechts*, p. 13 seq. AST, *Platons Leben und Schriften*, p. 327, et TENNEMANN, *Gesch. der Phil.* p. 327.



## CAPUT TERTIUM.

DE NOVA CIVITATIS INSTITUTIONE, QUALIS PROPONITUR IN  
LIBRIS DE LEGIBUS.

---

Vidimus, qualem civitatem perfectam quidem, generi tamen humano propter ipsius imbecillitatem parum consentaneam laudaverit philosophus. Quid mirum ergo si ex eodem quaeramus, qualem igitur reipublicae formam generi nostro congruam opinetur, ut veram ejus in arte politica sententiam cognoscamus, neu philosopho tribuamus, quod ipse nunquam cogitavit aut voluit.

Cavendum autem ne in errorem incidamus eorum, qui putant Platonem, libris de Republica scriptis, postea sententiam mutasse, et in libris de Legibus 1) novam reipublicae formam exposuisse,

---

1) De hocce Platonis opere conf. etiam c. v. TCHORZEWSKI, de Politia Timaeo, Critia, librorum de Legibus praecipua ratione habita, Kasani 1847.

a praecedente plane diversam vanisque liberatam somniis 1). Sententiam non mutavit Plato, sed optime vidit leges illas, quae perfectae civitati ex hominibus perfectis compositae congruant, generi humano a perfectione illa toto coelo distanti minime convenire; quapropter novum jam composuit opus, quo civitatem finxit talem, qualem re vera inter homines exstare posse arbitratur. Quamdiu enim genus philosophorum a republica remotum imperio nondum erit potitum, neque adeo perfecta illa civitas existere poterit, cui leges suas accommodaverat, mortalibus opus erit aliis legibus, ipsorum naturae congruentibus. Quas expositurus dialogum scripsit de Legibus. Omnia igitur majora quam quae in homines, quales nunc nascuntur et educantur, cadant, a nova illa republica removet, quemadmodum ipse profitetur: *ἐπειδὴ τὸ τοιοῦτον μείζον ἢ κατὰ τὴν νῦν γένεσιν τε καὶ τροφήν καὶ παιδείαν εἶρηται*. At quamvis perfecta illa nostro generi adhuc parum congruat, tamen exemplar esse debet, ad cuius normam vita nobis sit instituenda: ex perfecta enim natura exempla sumenda sunt, etsi in hacce vita assequi ea nondum possimus. Perfectam igitur rempublicam intuentes, talia sectari debemus instituta, quae ab illa quam proxime distent 2). Ad

1) Vid. DE GERR, Diatr. p. 114.

2) Παράδειγμά γε πολιτείας οὐκ ἄλλη γὰρ οὐσπεῖται· ἀλλ'

quam reipublicae formam constituendam non suo ipsius tantum ingenio, sed veterum etiam quarundam civitatum observatione sensim adductus esse videtur.

In nova illa civitate, quam imperfectis hominibus, quales sua aetate erant, congruere arbitratur, communionem mulierum et liberorum tollit, et communitatem bonorum communi agri publici possessione circumscribit 1). Agri enim inter omnes cives acquis partibus dividantur. Quinquies mille et quadraginta civibus constet civitas, cujus agri et fundi in totidem partes distribuuntur, ut unicuique civi aequa portio assignetur 2). Quam distributionem, si firma sit et immutabilis, praecipuum civitati habet salutis primordium, in quo tanquam stabili fundamento cetera deinceps aedificanda sunt, quae ad reipublicae utilitatem et dignitatem spectant 3).

---

ἐχομένους ταύτης τὴν ὅτι μάλιστα τοιαύτην ζητεῖν κατὰ δύναν, de Leg. V, p. 739. E.

1) Conf. τῆ. μοῦτς, Utopia p. 77, 85.

2) Ἰῆ δὲ καὶ οἰκήσεις ὡσαύτως τὰ αὐτὰ μέρη διανεμεθήτω, γενόμενα ἀνὴρ καὶ κληῖρος ξυνηνομή de Leg. V, p. 737. D. Quare autem numerum quinquies mille et quadraginta civium civitati ad bellum et pacem, conventus, tributa aliaque aptissimum putet, mox docet de Leg. V, p. 738. A. seqq.

3) Σωτηρίας τε γὰρ ἀρχὴ μέγιστη πόλεως αὕτη γίγνεται, καὶ ἐπὶ ταύτης οἷον κρηπίδος μονίμου ἐποικοδομεῖν δυνατον ὄν τινα ἂν ὕστερον ἐποικοδομή τις κόσμον πολιτικὸν προσήκοντα τῇ τοιαύτῃ καιριστάσει, de Leg. V, p. 736. E.

Variis igitur legibus cavit, ne agri hujus distributio mutaretur. Nuptiis quoque filiarum orbarum, quibus Lycurgus minus recte prospicere ipsi visus erat, leges scripsit, ne civium numerus diminueretur neu agri divisio mutationem subiret 1). Si quis, v. c. ab intestato mortuus filias reliquerit, frater ejus ex eodem patre natus, vel qui sine sorte ex eadem matre est progenitus, filiam et hereditatem defuncti adire debet 2). Legibus porro de testamentis 3), quorum auctoritatem coarctavit, de foenere, quod omnino prohibuit, aliisque institutis id praecipue studuit, ut aequalem illam agrorum distributionem conservaret 4).

Quamquam vero agros communem civitatis possessionem habet, nec quemquam divitiis abundare aut paupertate premi cupit, praeter agri portionem alia quoque bona possidere concedit. Fatetur quidem melius fore, si cetera omnia, quae in coloniam confluant, aequaliter distribui possent 5); at quum id fieri non possit, sed alius

1) Vid. Arist., Rep. II, 9. Conf. κ. ο. MÜLLER, die Dorier. Breslau 1824, II, p. 197.

2) Ἐάν ὁ μὴ διαθέμενος θυγατέρας λίπη, τοῦ ἀποθανόντος ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ ἢ ἀκλήρος ὁμομήτριος ἐχέτω τὴν θυγατέρα καὶ τὸν κληρον τοῦ τελευτήσαντος, de Leg. XI, p. 924. E.

3) De Leg. XI, p. 922, 923.

4) De Leg. V, 741. E, p. 742, C.

5) Ἦν μὲν δὴ καλὸν καὶ τ' ἄλλα ἴσα πάντ' ἔχοντα ἓνα ἕνα-στον ἐλθεῖν εἰς τὴν ἀποικίαν, de Leg. V, p. 744. B.

majorē pecuniarum copia, alius minore utatur, necesse erit, ut inaequales in illa civitate constituantur census 1): ita ut magistratus, tributa, munera non tantum pro cuiusque genere et virtute vel pro corporum robore et forma, sed etiam pro divitiarum ratione, inaequaliter quidem, attamen pro portione apte et commode computata omnibus civibus tribuantur, ac nullus locus dissensionī relinquatur 2).

Quibus de causis quadripartitum fecit censum, ut, prouti vel ditiores sint vel pauperiores, classis opibus eorum congruenti adnumerentur 3). In civitate autem, quam morbi gravissimi, i. e. seditionis, expertem esse cupivit, neque gravis paupertas neque grandes divitiae reperiantur, quae seditionum causae sint certissimae 4). Terminum igitur iis definivit, et paupertatis quidem terminum posuit censum sortis, quam stabilem esse voluit 5). Permittit tamen legislator duplum, triplum, quadruplum possidere modum. Quodsi quis plura

---

1) Τιμήματα ἄνοσα, de Leg. V, p. 744. B.

2) Ὡς ἰσότηατα, τῷ ἀνίσῳ ξυμμέτρῳ δε ἀπολαμβάνοντες μὴ διαφέρονται, de Leg. V, p. 744. C.

3) De Leg. V, p. 744. D.

4) Μῆτε πενίαν τῆν χαλεπὴν ἐνεῖναι παρὰ τῶν πλουσιῶν μήτ' αὐτῶν πλοῦτον, ὡς ἀμφοτέρω ταῦτα ἀμφοτέρω, [nam utrumque procreat utrumque] de Leg. V, p. 744. D.

5) Ἡ τοῦ πλεονεξίας τιμῆ, ὅν δεῖ μένειν καὶ ὅν ἀρχῶν οὐδεὶς οὐδενί ποτε περιόμεται ἐλάττω γυγνώμενον, de Leg. V, 744. E.

habeat, sive ea repererit sive donatione acceperit, sive industria quaesiverit sive casu quodam consequutus sit, atque omnia quae supersunt civitati et diis tutelaribus tribuat, indemnis erit et magnam haud dubie reportabit gloriam 1). Omnium quoque rerum, quas praeter sortem possident, commentarius conficiatur, ut de his apud magistratum profiteantur, omnesque de bonis lites sint faciles, expeditae, perspicuae 2).

Lycurgus instituit, ut quisque civis de suo ad convivia communia conferret 3). Aliter Plato, qui quum agros omnium communes esse vellet, Cretensium more annonam ad convivia inter ingenuos, servos, opifices, peregrinos distribui jussit 4).

Vitae rationem instituit ab ea, quam in perfecta republica praescipit, quodammodo diversam. In libris de Republica agriculturam et artes plebi reliquerat, dum philosophiae studium solis custodibus tribuit; in opere de Legibus agriculturam civibus iisdemque custodibus, artes vero peregrinis mandavit 5). Ne autem cives a vita publica nimis abstraherentur, sancivit ut agrorum colendorum labor servis mandaretur, qui

1) *Εὐδόκιμος καὶ ἀξήμιος* de Leg. V, p. 744, E.

2) De Leg. V, p. 745, A.

3) Vid. Arist. Rep. II, 9.

4) Quod quomodo fieri possit docet de Leg. VIII, p. 847, D, E, 848 A, B.

5) De Leg. VIII, p. 846—848.

hominibus modice viventibus satis fructuum ex agris percipere possint 1).

Novae illi civitati, ut generi hominum, quales nunc sunt, magis accommodatae, reddidit fundamentum illud societatis humanae, quod perfectae reipublicae, tanquam celsioris ingenii viris destinatae, ademerat. Restituit nempe matrimonium vitamque domesticam. Parentibus permisit ut liberorum prole gauderent, infantes matrum curae et amori reddidit. Utilitatem matrimonii ad propagationem generis humani tanquam finem nuptiis proponendum docet 2). Quilibet enim viginti quinque annos natus, si conjugium ad vitae communionem prolemque suscipiendam sibi conveniens invenerit, intra annum tricesimum quintum uxorem ducat 3). Pauperum ne fugiant, divitum ne nimis sectentur affinitates, quippe quod reipublicae et familiae utilitati noceat, quum moderatae nuptiae mirum in modum ad virtutem prosint 4). Una tantum sit ratio omnium nuptiarum, ut quisque non sibi jucundissimum, sed civitati utile

1) Γεωργία δε ἐκδεδομένα δούλοις ὑπαρχήν τῶν ἐκ τῆς γῆς ἀποτελοῦσιν ἱκανὴν ἀνθρωποῖς ζῶσι κοσμίως, de Leg. VII, p. 306. D.

2) De Leg. VI, p. 772. D.—774. B.

3) Κατὰ νοῦν ἑαυτοῦ καὶ πρόγοντα εἰς παίδων κοινονίαν καὶ γένεσιν ἐξευρημένα πιστεύει, γαμείτω μὲν πᾶς ἐντὸς τῶν πέντε καὶ τριάκοντα ἐτῶν κτέ. de Leg. VI, p. 772. D.

4) De Leg. VI, p. 773. A.

ineat matrimonium 1). Quapropter inter alia vitia ebrietas praesertim a conjugali absit conjunctione, quae videlicet liberorum animis aequae ac corporibus maxime est perniciosa. Ebrius enim, ut qui mente captus sit, indignus est qui arvo genitali semen mandet 2). Sponsus vero et sponsa omnino cogitare debebunt, qua ratione pulcherri- mos optimosque, quantum fieri poterit, liberos progignent civitati, tunc vero maxime, quum nondum liberi illis nati sunt 3).

Mulierum etiam, quas in libro de Republica vi- ris fere similes esse et horum muneribus pariter fungi jussit 4), vitae rationem commutavit. Con- vivis utentur matres filiaeque communibus, seor- sim a viris 5); quanquam aequae ac mares ad equi- tandi et jaculandi magistros deducuntur 6); ad bellum vero non proficiscuntur nisi instante peri- culo, sed urbem liberosque custodient 7). Magi-

1) Καὶ κατὰ παντὸς εἰς ἕστω μῦθος γάμου· τὸν γὰρ τῇ πόλει δεῖ συμφέροντα μνηστεύειν γάμον ἑναστον, οὐ τὸν ἥδιστον αὐτῶ. de Leg. VI, p. 773. B.

2) De Leg. VI, p. 775, C, D.

3) Νύμφην χρὴ διανοεῖσθαι καὶ νυμφίον ὡς ὅτι καλλίστους καὶ ἀρίστους εἰς δύναμιν ἀποδειξομένους παῖδας τῇ πόλει ... τοῦτον τὸν χρόνον διαφερόντως ὄν ἂν μήτω παῖδες αὐτοῦς ὡς γεγονότες. De Leg. VI, 783, D, E.

4) Vid. STAHL, Phil. des Rechts, p. 19.

5) De Leg. VII, p. 806. E.

6) De Leg. VI, p. 764. C.

7) De Leg. VII, p. 814. A.



stratum muneribus eatenus tantum fungentur, quatenus sexui foeminarum conveniant. Curam enim adhibebunt liberorum procreationis et educationis.

Habemus igitur rempublicam, qualem ipse philosophus generi nostro optime convenire proficitur. Cujus leges quanquam minus alienae sunt ab humana natura quam eae, quas in perfecta republica proposuit, nihilominus sunt improbandae. Quis populus, etiamsi regiminis forma utatur parum laudanda, tales leges sibi optaverit? Quamvis enim communionem omnium bonorum non admittat, agri tamen cultura servis mandanda omnem aufert laboris aemulationem, optimum illum industriae stimulum, qui ex glebis saepe haud fertilibus frugum elicit abundantiam. Aedes omnibus aequaliter distributae luxum, artium fautorem, excludent. Agrorum aequalis distributio, quae fundamentum civitatis ab eo habetur, jus libere testandi adimet patribus; filiis in nuptiis ineundis uxores adsignat, hereditatis, non amoris et consensionis ratione habita. Foeneris prohibitio fructus juste acquisitos aufert ei, qui agris arandis defessus provecta aetate juventutis labore frui cupit; et pauperiorum industriam ditiorum opibus omnino privaret 1).

---

1) Vid. omnino F. BASTIAT, *Capital et Rente*. Paris 1849, SAY, *Traité d'Ec. pol.* p. 305.

Communione bonorum rejecta, opum tamen abundantiam et egestatem tanquam omnium seditionum fontem tollere conatur, et certam agri partem cuique civi tribuit, ne ullus homo victu careat. Pulchrum fortasse praeceptum, modo leges nos doceat philosophus, quibus civium numerus semper idem servetur, et prohibeatur ne supra modum liberi procreentur. Inaequalis divitiarum inter homines distributio minime est causa calamitatum, quibus pauperes premuntur, in ipsis pauperibus est praecipuus miseriarum fons. Immoderata liberorum procreatio, futuri temporis incuria, morum corruptela miserae illorum conditionis verae sunt causae, quae genti humanae perniciem minantur 1).

Quatuor igitur in censu constituit gradus, qui tam munerum quam tributorum norma futuri sunt. Ita que divitiis majorem tribuit vim in republica gubernanda, id quod ipse in libro de Republica acerrime impugnaverat, opes nullam afferre sapientiam arbitratus 2). Res difficilis: recordemur tantum, quas difficultates populi recentiores, Borussi praesertim,

1) Vid. omnino F. R. MALTHUS, An Essay on the principle of Population or a view of its past and present Effects on Human Happiness. London 1817. Praecipue L. IV. in quo de futura hominum conditione agit, quae malis amovendis et mitigandis exoritur. Porro Mr. B. W. A. E. SLOET TOT OLDHUIS, Tijdschrift voor Staatshuishoudkunde en Statistiek. IV, p. 372.

2) De Rep. VIII, p. 550, D.—551. B.

in tributis ad census normam distribuendis experti sint 1).

Omnium bonorum, quae praeter agri portionem possidentur, tabulas confici jubet. Id in civitate quinquies mille civium forsitan fieri poterit, in majoribus hac de re ne sermo quidem esse potest. Opinio nostra probabitur ex impedimentis, quae obstabant bonorum professioni in Anglia, tributo redituum ordinando necessariae 2).

Cives non tantum ab artibus illiberalibus, sed ab agricultura quoque avertere conatur, agros servis colendos relinquit, quasi artes, quae victum suppeditant civibus et vitae augmentum jucunditatem, liberis hominibus prorsus sint indignae. Roma vero floruit, quum dictator aratrum a moribus suis non alienum putabat; collapsa est respublica, quae totum paene orbem terrarum sibi submiserrat, postquam servis arva colenda sunt relicta.

Magnum tamen fecit progressum in libro de Legibus. Familiam restituit, fundamentum humanitatis. Brevem unius anni conjunctionem cedere jussit perpetuo vitae consortio; fidem conjugibus, amorem parentibus, pietatem liberis reddidit.

---

1) Quas difficultates uberius exposui in op. meo: de Directe Belastingen inz. die op de Inkomsten. Utr. 1848, I, p. 183. Vid. porro J. G. HOFFMANN, Die Lehre von den Steuern. Berlin 1840, p. 150—185.

2) Vid. J. R. McCULLOCH, A Treatise on the principles and practical influence of Taxation and the Funding System. London 1845, p. 126 seqq.

Mulierum vero nondum plene agnovit naturam. Quamvis a gerendis magistratibus sexui parum commodis ad munera mitiora eas vocet, vitam tamen domesticam paene tollit instituendis publicis foeminarum conviviis, et reipublicae custodia ipsis mandanda. Imbecillas manus, natura ad amplexum destinatas, arcu et gladio armat philosophus.

Multa igitur, ut videmus in Platonis republica sunt reprehendenda. Quomodo autem ad perver-  
sas illas doctrinas adduci potuerit vir ob sapien-  
tiam summis elatus laudibus, in sequenti capite  
investigabimus.

## CAPUT QUARTUM.

DE POLITICA ATHENARUM CONDITIONE, QUAE IN PLATONIS  
OPINIONIBUS VIM HABUISSE VIDETUR.

Saepe numero in legendo Platonis libro miratus sum, quî summus vir, qui tot egregia morum praecepta in aliis exposuit dialogis, in opiniones de republica tam absurdas tamque naturae humanae incongruas incidere potuerit. Fuerunt, qui earum absurditatem dissimulantes variis argutiis eas defendere conarentur, nec quidquam imperfectum ex philosophi ingenio profectum esse fateri vellent. Perperam. Sua quemque habere vitia, tristis est humani generis conditio. Quidni etiam princeps Graecorum philosophorum humanae imbecillitatis fuisset particeps? Potius causas indagemus, quibus in tantos errores incidere potuerit, civitatisque statum investigemus, qualem Plato in patria sua cognoverat. Ita forsitan rationes reperiemus, ob quas ipsum, si non defendere, excusare saltem possimus.

Qualis Platoni reipublicae Atheniensis conditio sua aetate visa sit, accurate jam pridem exposuit vir amplissimus de Geer in dissertatione academica; unde effici potest, quid ipse de sua patria iudicaverit, et quam vim apud eum habuerit turbulentus Athenarum status. Habemus ergo quem hac de re consulere possumus, quare nobis in his enarrandis breves esse licebit 1).

Secundum Platonis igitur sententiam reipublicae Atheniensis conditio post bella Persica pedetentim est corrupta. Bellorum enim illorum victoriis superiores facti exsultare coeperunt cives, magistratum imperia detrectare, parentum senumque admonitiones negligere, leges violare, tandem ipsam aggressi deorum religionem, quasi Titanum more diis coelestibus bellum inferre vellent.

Cujus rei praecipui auctores fuere duces, quales Miltiades, Themistocles, Cimon; qui quamvis hostes profligassent et rerum civilium peritissimi praedicarentur, tamen rempublicam non ita administrarunt, ut cives meliores redderent vel temperantiam justitiamque auferent, sed populi indulserunt lubidini. Moenia enim et portus extruxerunt, ut civitatis auferent opes. Optimam vero artem civilem, qua civium auferentur virtutes, neglexerunt, populumque reddiderunt ferocem et injustum, cujus vitia dein demagogorum multo etiam nequiorum

1) Vid. DE GEER, Diatr. p. 34—52.

adulatione excusabantur, imo laudabantur. Ipse Pericles, quanquam auctoritate floruit et eloquentia, nihilominus civitati nocuit 1); filios suos arte politica parum instruxit; Athenienses pigros, timidos, loquaces, avaros reddidit.

Paulatim crevit plebis licentia. Initium mali fuit artis musicae depravatio, et democratia primum invaluit in theatris, ubi in artificibus et iudicibus suam exercuit vim 2). Peritorum iudicium in theatris parum rogabatur. De poësis et musicae praestantia iudicabat plebs, cujus insolentia mox e theatris in forum transiit, ubi pudori successit impudentia, observantiae legum licentia. Delapsa est respublica ab antiqui splendoris culmine, et duae exstiterunt factiones, popularium et optimatum, qui semper sibi invicem infestissimi omni modo adversariis nocere conati sunt, donec triginta tyrannorum severitate fracta sit plebis potentia. His autem propter crudelitatem ejectis, reipublicae procuratio ad populares revertit.

Neque minus nocuit civitati Platonis iudicio rei nauticae, mercaturae et divitiarum studium; cui sententiae nunquam accedent, qui nobiscum mer-

---

1) GORGIAS, p. 515 D. E. Loci, ex quibus opiniones illae Platonis sunt desumptae, uberius citantur in disputatione DE GEERII l. c.

2) Vid. omnino DE GEER, Diatr. p. 38, seq., et C. A. DEN TEX, Disputatio Inaug. de Vi Musicae ad excolendum hominem ex sententia Platonis. Traj. 1816, p. 68.

caturam civitatibus maxime prodesse arbitrantur. »Bellis mari gestis, inquit, timidi facti sunt cives. Citius terga dabant, ubi in naves fugiendi oportunitas iis dabatur, et res nautica effecit ut bellica virtus gubernatorum et remigum dexteritate censeretur. Exstiterunt magistri armorum et doctores sapientiae, sophistae appellati, qui artibus, quas profitebantur, parum valebant, neque meliores reddere cives poterant. Mercatura lucri cupiditatem auxit, moribus nocuit et cives varios atque infidos reddidit. A studiis liberalibus ac bellicis deterruit, atque ita plane depravavit Athenienses. Nullum enim est in civitate honestis justisque moribus perniciosius malum quam divitiarum magnitudo in unum collata 1). Luxuriam auget divitiae artesque promovent, famulas cupiditatum" 2).

1) Οὐ μὲν γὰρ κακὸν ὡς ἔπος εἰπεῖν πόλει ἀγαθὸν ἕνος ἐν οὐδὲν ἂν γίγνοιτο εἰς γενναίων καὶ δικαίων ἡθῶν κτήσιν. De Leg. IV. p. 705. B.

2) Perversa haec at satis vulgata de luxurie opinio ex eo oritur, si veras rerum causas ignoramus semperque haeremus in isto: *post hoc, ergo propter hoc*. Negari nequit luxum sine divitiis esse non posse, sed absurdum foret si eas semper luxuriei causam haberemus. Ditiore enim gentes saepe frugaliore utuntur vita quam cae, quae parcae divitiis sunt donatae. Luxus in populorum indole potius quaerendus est quam in opum incremento. Francisci homines, nostratibus antiquis praesertim temporibus pauperiores, multo luxuriosius tamen vivebant. Dum patres nostri maris erant *ἡγέμονες*, omniumque fere populorum commercio



Sic turba exstitit mercenariorum, qui artem et scientiam mercede venalem haberent; et universi cives, quo magis divitias in honore habebant, eo magis virtutes contemnere coeperunt. Munera non optimis deferebantur, sed iis, qui pecuniae plurimum pollerent; unde duae exstiterunt factiones, altera divitum, pauperum altera, sibi invicem invidentes et insidiantes. Ita tandem exorti sunt homines, novarum rerum cupidi, fortes, audaces, qui fucorum instar aliorum melle vescerentur aculeisque ceteros laederent, quo factum est ut postremo reipublicae procuratio ad vulgus transferretur. In civitate autem populari suos quisque sibi fingit mores et vitam agit, quam sibi commodam arbitratur. Discrimen omne aetatis, conditionis, dignitatis tollitur, omnia confunduntur hominum genera. Neque senes a juvenibus, ne-

---

immensas sibi acquirebant opes, vitam agebant modestam frugalemque. Dum novis tributis atque vexationibus premebantur agrorum incolae, luxuries aulae LUDOVICI XIV civiumque Parisiorum summum attigit culmen. Qua de re vid. Mr. E. LUZAC, *Hollands Rijkdom*. Leyden 1780, inprimis III, c. 1, seqq. et J. BRESSON, *Histoire Financière de la France depuis l'origine de la monarchie jusqu'à l'année 1828*. Paris 1829, I, 3, seqq. Artes famulas esse dicit Plato cupiditatum. Durum et iniquum iudicium. Nonne artes, quae perfectas etiam rerum species nobis ante oculos ponunt, animum ad res celsiores tollent, etiamsi nonnumquam voluptatum illecebris animos deliniant? Qui fieri potuit, ut philosophus, pulchri laudator, qui Phidiae vidit Jovem Olympicum, sculpturae admiratione non moveretur?

que domini a servis in honore habentur, neque ipsa adeo bruta hominibus via decedunt.

Magistratibus non obtemperabant Athenienses, sed hos sibi obsequentes habere volebant, quo factum, ut nulla paene vis legibus judiciisve relinquere-  
tetur. Sophistae imperiti reipublicae gubernandi dabant praecepta, et populi suffragiis ad munera vocabantur, iis similes, quibus, quamvis gubernatores non essent neque medici, tamen vulgi suffragiis navis regendae munus vel aegrotantium curatio mandaretur. Quae vitia quum in populari regimine reperiantur, cives plebis vexationibus lassati tyranno facile se submitunt, si quando rerum potiatur.

Sic apud Athenienses tyrannidem usurpavit Pisistratus, et quamvis Periclis aetate popularis diceretur reipublicae status, revera tamen unius arbitrio omnia gerebantur. Ceteri autem demagogi minus felices fuerunt, et tanta erat Atheniensium pravitas, ut viri optime de republica meriti, quales Miltiades, Themistocles, Cimon, duces classis ad Arginusas insulas, alii, saepius morte vel exilio mulctarentur. Quapropter stultum erat res publicas capessere apud populum istum morosum, ingratum, crudelem, invidum.

Tale fuit ipsius Platonis iudicium de statu reipublicae Athenarum, quod eum praesentium rerum taedio adegit, ut novo rerum ordine hominum calamitatibus remedium afferre conaretur. Mirandum

tamen non foret philosophum acerrimo in demagogos nec minus in Periclem odio ductum, atris nimis coloribus civitatis conditionem adumbrasse. Quare videndum erit quatenus philosophi sententia cum ipsa temporum conditione sit conveniens.

Natus est Plato anno tertio Olympiadis octogesima septimae, paucis mensibus ante Periclis mortem; quare omnia, quae princeps ille vir per quadraginta annos per quos reipublicae praefuit, ad doctrinas et artes promovendas fecerat, jam adolescens discere potuit 1). Vidit summum patriae splendorem, idem vero etiam vitia animadvertit, quibus laborabat civitas. Plebem vidit corruptam, cupiditatibus modo effrenato indulgentem, nec legibus, nec magistratuum imperiis obtemperantem. Horum autem vitiorum causam Pericli praesertim imputabat, non vero, quod illum confunderet cum vulgari demagogorum turba, ignorantia, audacia et insolentia insignium. Quanti enim faceret ejus ingenium et eloquentiam, declarat in Phaedro: »Videtur inquit, non immerito Pericles oratorum omnium perfectissimus exstitisse. . . . Omnes magnae artes dialectica exercitatione et contem-

---

1) De educatione et adolescentia Platonis conf. M. DÉGERANDO *Histoire comparée des Systèmes de Philosophie*, Paris 1822. p. 212 seqq. F. AST, *Platons Leben und Schriften*. p. 14 seqq. TENNEMANN, *Gesch. der Phil.* p. 190. et K. F. HERMANN, *Geschichte und System der Platonischen Philosophie*. Heid. 1839, p. 11 seqq.

platione rerum sublimium indigent, quae ad naturae cognitionem spectant. Mentis enim celsitas et efficacitas in rebus agendis ex nullo alio fonte manare videtur. Illius autem scientiae adjuncta ad suae naturae praestantiam addidit Pericles.... Etenim ex illa rerum cognitione (quam ab Anaxagora didicerat) tantum sibi hausit, quantum ad dicendi rationem sibi profuturum existimabat 1).” Praeclare his dictis Plato Periclis eloquentiae vim et mentis celsitatem declaravit. Nihilominus eundem corruptae morum disciplinae, invalescentis licentiae et protervitatis popularis praecipuum habuit auctorem 2).

Judicium hoc durius sane videatur, si imaginem viri, qualem Thucydides 3) nobis conspiciendam praebet, comparemus. Nam affluentibus undique

1) *Κινδυνεύει εικότως ὁ Περικλῆς πάντων τελεώτατος εἰς τὴν ῥητορικὴν γενέσθαι.... Πᾶσαι δοῦναι μεγάλα τῶν τεχνῶν, προσδέονται ἀδολοχίας καὶ μετεωρολογίας φροσεως πέρι, τὸ γὰρ ὑψηλότατον τοῦτο καὶ πάντη τελεσιουργὸν εἶκεν ἐντεῦθεν ποθεῖν εἰπένας. ὃ καὶ Περικλῆς πρὸς τῷ εὐφυῆς εἶναι ἐκτεῖλετο προσπεσῶν γάρ, οἷμαι τοιοῦτον ὄντι Ἀναξαγόρα, μετεωρολογίας ἐμπλησθεὶς καὶ ἐπὶ φύσιν τοῦ τε καὶ ἀνοίας ἀφικόμενος, ὧν δὴ πέρι τὸν πολλὸν λόγον ἐποιεῖτο Ἀναξαγόρας, ἐντεῦθεν εἴλιυσεν ἐπὶ τὴν τῶν λόγων τέχνην το πρόσοφορον αὐτῆ· Phaedrus p. 269. E. 270. A.*

2) De hujus aetatis indole vid. inprimis W. ROTSCHEER, *Leben, Werk und Zeitalter des Thukydides*. Göttingen 1842, p. 202 seqq. et BERMANN, *Gesch. und Syst. der Plat. Phil.* I. p. 13 seqq.

3) *Hist.* II, 65, § 3—9 coll. II, 60.

divitiis et cupiditatum illecebris, ille semper incorruptum et temperantem se praestitit, civitatisque splendorem ac gloriam suis anteposuit commodis. Mentis praestantia et virtute domuit exsultantem multitudinem, quae nutu ejus se regi passa est. Quis autem ignorat, quantum Pericles artibus et litteris fovendis et colendis tam ad Athenarum splendorem quam ad humanitatis cultum contulerit? Ne Plato quidem unquam Plato fuisset, nisi natus esset et formatus in republica, qualem Pericles constituerat. Hujus enim maxime exemplo, auctoritate, institutis factum est, ut Athenae existerent revera *Πρωτανειῶν τῆς Ἑλλάδος* atque non magis aedificiorum splendore 1) quam cives ingenii acumine et elegantia excellent 2). Illo demum auctore factum est, ut de Athenis quoque dici posset: »Natura hic posuit quidquid ubique fuit." Illuc enim tam docti et artifices 3) quam copiae et merces undique tanquam in commune forum confluxere, laudata illa Athenarum hospitalitate nobilitatum 4).

1) Vid. THUCYD. II, c. 38, PLUTARCHUS in vita Periclis c. 12.

2) *Γνώμαι πάντων ἡμεῖς δεύτατοι τὰ ῥηθέντα.* Demosth. Olynth. III, c. 15 § 32. *Φρονήσει δοκοῦντα διαφέρειν.* Diod. Sic. XVIII, 10.

3) Vid. A. BOECKE, die Staatshaushaltung der Athener. Berlin 1817, I, p. 48 seqq.

4) De qua vid. THUCYD. II, 38: *Ἐπεισορχεται δὲ διὰ μέγεθος τῆς πόλεως ἐκ πάσης γῆς καὶ πάντα, καὶ συμβαίνει ἡμῶν*

Plato autem quanquam splendorem illum admirabatur, tamen non ita eo captus erat, ut speciem a veritate non distingueret. Ipse morum castitate insignis respuit, quaecunque huic officere possent, et Periclem culpavit, quod civitatis splendori magis quam civium emendationi prospiciens, fastu publico cives ad luxum allexit reddiditque deteriores. Et sane negari nequit Periclem, dum civitatem ad gloriae et humanitatis fastigium evehere studeret, fundamenta reipublicae neglexisse. Parum observans proverbii illius *Μηδὲν ἄγαν*, plebi tantam libertatem tribuit 1), quanta cives perfecti solummodo uti potuissent. Modum in juribus civium augendis non satis servavit, et quum hominibus depravatis imperaret, leges scripsit, iis tantum aptatas, qui summum jam humanitatis fastigium attigissent. Aucto civitatis splendore virtus immutata est, et respublica similis facta aedificio, cujus species omnium perstringit oculos, fundamenta vero ruinam minantur. Itaque quamdiu ipse gubernacula tenuit, inter maxima pericula et tempestates incolumem civitatem rexit. Sed illo absumto, mox de recto cursu deflexit. Quis enim labefactatis civitatis fundamentis, moribus cor-

μηδὲν οὐκαιοτέρα τῇ ἀπολαύσει τὰ αὐτοῦ ἀγαθὰ γινόμενα  
καρποῦσθαι ἢ καὶ τὰ τῶν ἄλλων ἐνθρώπων. Addit c. 39: Τὴν  
γὰρ πόλιν κοινὴν παρέχομεν καὶ οὐκ ἔστιν ὅπῃ ξενηλασίαις  
ἀπειρογόμεν τινα ἢ μαθήματος ἢ θεάματος.

1) Conf. ROTSCHEK, Leben etc. des Thukyd. p. 203.

raptis, populo parum legibus magistratibusque obtemperante, bellica contempta virtute, luxuria et φιλαυτία in dies magis magisque crescente 1), quis prohibere posset, ne respublica detrimentem caperet 2)?

Præcipuam malorum causam et vitiorum fontem si quaerimus, non auri cupiditas, neque libertatis studium adeo nocuissent reipublicæ, dummodo ne publici reditus largitionibus popularibus dilapidati essent, quæ opes civitatis exhauriebant et industriae fructus absumebant alienæ. Multitudo laborem fugiens ludos appetebat. Otio terebat tempus, laboribus fructuosis destinatum. Vita publica in foro utens, virtutes neglexit domesticas. Parcimonia contempta, luxu-

---

1) Vid. ΒΟΕΚΗ., Staatsh. der Athener, I, p. 226 seqq. Facete hac de re MONTESQUIEUS: »On y craignait PHILIPPE non pas comme l'ennemi de la liberté, mais des plaisirs." Esprit des Loix III, 3. Mortis enim poena mulcebatur, si quis legem ferret, ut τὸ θεορακὸν ad bellum gerendum adhereret civitas. Qua de re vid. ΒΟΕΚΗ., Staatsh. der Athener, I, p. 196 seqq., qui τὸ θεορακὸν dicit »die verderblichste Ausgeburt des Perikleischen Zeitalters."

2) De corruptela Atheniensium vid. K. F. HERMANN, Lehrbuch der Griechischen Staatsalterthümer. Heid. 1836, § 72: »Dasz an die Stelle der Vaterlandsliebe und der Achtung für Recht und Sitte die schöneste Selbstsucht trat, und nicht mehr allein der herrschende Theil der Nation als Ganzes, sondern jeder Einzelne seine Privat-Interessen, seine Neigungen und Lüsten für sein natürliches Recht hielt, das er mit allen ihm zu Gebote stehenden Mitteln sich zu verschaffen befugt sey."

riose vivebat. Socios vexabat, quo majores reditus sibi acquireret, et omnium divitias Athenas conferret. Quid autem juvant divitiae, ubi dilapidationi nulli sunt termini?

Jure ergo Periclem reprehendit Plato, quod Athenienses ignavos et avidos fecerat, quum mercedem dare iis instituit, qui rebus publicis gerendis interessent 1). Antea enim reipublicae procuratio penes paucos tantum erat; postquam vero merces 2) iis dari coepta est, qui suffragia ferrent, omnes nullo discrimine, docti, indocti, periti, imperiti, in forum congregabantur, ut rebus publicis se immiscerent. Quapropter summum rerum arbitrium ad eos pervenit, qui veram reipublicae salutem minime intelligebant, et proprium lucrum publicae saluti anteponebant. Ita invaluit, quae dicitur *ochlocratia*. Largitiones aerarium exhauriebant, quod sociis vexandis ad sumtus vix sufficiebat.

Plebs, quae tam in judiciis quam in comitiis dominabatur, maxime onera divitibus imposuit.

---

1) Contendit enim Athenienses Periclis opera prorsus esse corruptos eumque peregrinorum stipendiorum morem primum in republicam importasse: *Εἰς μισθοφορίαν πρῶτον καταστήσαντα* Gorg. p. 515. E. *Τὰ δὲ δικαστήρια μισθοφόρα κατέστησε* Περικλῆς. Arist. Pol. II, 9, 3. HERMANN, Lehrb. der Gr. alt. § 68. DE GEER, Diat. p. 34—66. BOECKH., Staatsh. I, p. 244.

2) *Μισθὸς ἐκκλησιαστικός*, de qua vid. BOECKH., Staatsh. I, p. 245.



Quamobrem fucis multitudinem comparans Plato dicit: »Divites, mea quidem sententia, sunt quasi fucorum istorum pabulum, quo illi pascuntur 1).» Democratiam tyrannidem dicit, quam pauperes in divites exercent 2), eamque durissimae dominationi similem putat 3). Revera enim plebi tanquam tyranno adulescentes non deerant, sed demagogi 4) omnimodo ejus cupiditatibus indulgebant, cujus favore viam ad summos honores sibi munirent 5). Quum fructus alieni laboris otio dulci consumeret, plebs iners facta est, et reipublicae habenas demagogis tradidit, qui veram civitatis salutem parum curantes suumque lucrum publicis commodis antepo- nentes, unam scientiam et artem in plebis favore captando sitam esse arbitrabantur 6).

Priscam Athenarum conditionem respiciant re-

1) *Πλοῖοι οὖν δὲ, οἷμαι, οἱ τοιοῦτοι καλοῦνται κηφήνων βοτάνῃ*, Rep. VIII, p. 564. E.

2) Rep. VIII, p. 557. A.

3) Vid. omnino HERMANN, Lehrb. §. 163. BOECKH, Staatsh. I, p. 410, 424, ubi *τεμήματα* tractat accusatorum, et *δημοσπρατα* damnatorum.

4) De demagogis conf. HERMANN, Lehrb. §. 164. Clontis orationem contra Mytilenaeos lege apud *THUCYD.* III, 36—40.

5) *Καὶ ἔστιν ὁ τοιοῦτος δῆμος ἀνάλογον τῶν μοναρχιῶν τῇ τυραννίδι . . . . καὶ ὁ δημαγωγὸς καὶ ὁ κολαζὸς οἱ αὐτοὶ καὶ ἀνάλογον*, Arist. Pol. IV, 4, 5.

6) *Ἐξ οὗ δ' οἱ διερωτῶντες οὕτοι ἡμᾶς πεφήνασι ῥήτορες· τί βούλευθε; τί γράνω; τί ἡμῖν χάρισωμι; προπέποται τῆς παραντίκῃ χάριτος τὰ τῆς πόλεως πράγματα*. Dem. Olynth. III, c. 34.

rum novarum cupidi, qui nostris quoque temporibus populo summum imperium, omnibus civibus jus suffragii concedendum censent. Quamvis infima proletariorum turba, qualis nunc civitatibus exitium minatur, ibi parum esset metuenda, quum pessimae conditionis homines, servi et inquilini civitatis jure ibi carerent, exemplo tamen esse poterit, quae calamitates, discordiae, seditiones civitatem vexent, simulatque omnibus jus administrandae reipublicae concedatur. Sine idonea rerum scientia et iudicii maturitate decernebat plebs, optimasque agendi opportunitates deliberando perdebat. Irae, rixae, contentiones, dolus, ambitus salubria consilia impediabant 1). Cum reipublicae gubernaculis gubernandi quoque artem se consecutam esse putabat multitudo, et magna cum arrogantia de rebus summi momenti decernebat, quamvis vera reipublicae commoda perspecta non haberet. Merito Plato talem civitatem navi similem dicit, de cujus cursu non periti gubernatoris iudicium, sed major numerus navigantium decernit 2). Popularis benevolentia adulationis et ambitionis erat merces; justitia et prudentia cedere debebant temeritati et arrogantiae 3). Legum

1) Ὁ Ἀθηναίων δῆμος ἐνδείκνυται ἔσθαι πρὸς ἀρχήν. Plat. Reip. Ger. Praec. Ὡσπερ ἰμάτιον ποικίλον, πᾶσιν ἄνθεσι πεποικιλμένον. Rep. VIII, p. 557. C.

2) Pol. p. 297, 298. Rep. VI, p. 483. B. C.

3) Ἐν δὲ ταῖς δημοκρατίαις . . . τὸ μὲν δίκαιον ἴσον

auctoritas erat exigua: tam domi quam belli licentia valebat 1).

Talis Platone juvene fuit reipublicae Atheniensis conditio, cui ansam praebeuit nimia libertas a Pericle populo concessa, quam quum sequentes deinceps demagogi magis magisque laxarent, eorum temeritate et audacia effrenata multitudo sensim in praeceps ruit. Vidit Plato democratiam furentem, vulgus bonis civibus exitium inians. Vidit populi cupiditates, privatorum libertati aequae ac humanitatis studiis contrarias. Quid mirum, si ab ista civitatis conditione prorsus alienus magis magisque illam repudiaret, ac novam sibi animo fingeret rempublicam, quae ab ista quam maxime distaret? Democratiam, quae bellum inter divites et pauperes accendit, bonos cives spoliavit et in exilium misit 2), virtutem et

*δοκεῖ εἶναι ἕσσον δ' ὅτι ἂν δόξῃ τῷ πλήθει, τοῦτ' εἶναι κύριον.*  
Arist. Pol. V, 7.

1) Οἷσθ' ὅτι οὐδὲ τῶν νόμων φροντίζουσι γεγραμμένων ἢ ἀγράφων, ἵνα δὴ μηδαμῆ μηδεὶς αὐτοῖς ἢ δεσποτῆς. Rep. VIII, p. 563. D. Τὸ δὲ πλῆθος ἐββα δεινὸν εἶναι, εἰ μὴ τις ἐάσει τὸν δῆμον πράττειν ὅ ἂν βουλήται, Xen. Hell. I, 7, 12.

2) MONTESQUIVIUS: Dans un état populaire, il faut un ressort de plus, qui est la vertu... Lorsque cette vertu cesse, l'ambition entre dans les coeurs, qui peuvent la recevoir, et l'avarice entre dans tous. Les désirs changent d'objets: ce qu'on aimait, on ne l'aime plus; on était libre avec les lois, on veut être libre contre elles; chaque citoyen est comme un esclave échappé de la maison de son maître; ce qui était maxime, on l'appelle rigueur:

honestatem sustulit, hanc ut pestem civitatis odit. Malum cognovit; mali contrarium bonum esse putavit. Itaque perfecta illa respublica, quam mente efflinxit, patriae ipsius statui plane debebat esse opposita. Optimis civibus ratione praeditis principatum dedit, ut multitudinem continerent cupiditatibus indulgentem. Universi populi potestatem repudiavit, paucis reipublicae creditis gubernacula. Respuit democratiam, suavitatem aristocratiam. Nimis vero ingenio indulsit, quod ab uno principio profectus semper sibi constare voluit. Ita pedetentim hominum vitam reliquit, seque in idearum quasi orbem extulit humanae naturae imbecillitati parum congruentem 1).

---

ce qui était règle, on l'appelle gêne; ce qui était attention, on l'appelle crainte. C'est la frugalité, qui y est l'avarice, et non pas le désir d'avoir. Autrefois le bien des particuliers faisait le trésor public; mais pour lors le trésor public devient le patrimoine des particuliers. La république est une dépouille; et sa force n'est plus que le pouvoir de quelques citoyens, et la licence de tous. — Esprit des lois III, 3.

1) Vid. KAPP, Platon. Erziehungslehre, p. 165, et HERMANN, Gesch. und Syst. der Plat. Phil. p. 91.

misit anulum gestare aureum vestemve operosam et pretiosam induere 1). Cibi etiam commendat temperantiam, nec cuiquam merum bibere concessit nisi medici jussu, valetudinis recuperandae causa 2).

Haec fere sunt, quae cum Platonicis institutis congruunt. Bonorum mulierumve communitas apud Locrensem legislatorem neutiquam reperitur. Syngrapham quidem pecuniae in fœnere positae dari vetuit, teste Zenobio 3), ne usuris obruerentur pauperiores, atque ita jus domini quodammodo circumscripsit, sed neminem prohibuit quominus justo modo opes sibi acquireret. Lege etiam constituit, ut cuique rem, de qua esset controversia, possidere liceret, quamdiu lis sub iudice esset.

A communione vero mulierum prorsus abhorruit Zaleucus, et lege constituit, ut adulteri oculis privarentur, quibus ad flagitium pellecti essent. Ne filio quidem suo in adulterio deprehenso percuisse narratur; sed amore paterno justitiam temperavit, et alterum sibi excussit oculum, post-

---

*tention à leur conduite.* Haecce verba interpolata tamen videntur. Vid. C. C. HEYNI, Opuscula Academica. Gött. 1787, II, p. 33.

1) *Μηδὲ τὸν ἄνδρα φορεῖν δαυτίλιον ἐπέχουσον μηδὲ ἐμάτων ἰσομήλιον* STOBÆUS, Serm., p. 280.

2) *Δουλοῖς τοῖς Ἐπιζευγείοις εὐτις ἄκρατον ἔπει, μὴ προστάξαντος ἰατροῦ, θεραπείας ἕνεκα, θάνατος ἦν ἢ ζημία.* ATHENÆUS, Deipnosophistae, Lugd. 1612. X, p. 429. A.

3) *Συγγραφὴν ἐπὶ τῶν δανεισμάτων μὴ γίνεσθαι,* Prov. Cent. V, 4, in ed. A. SCHOTTI, Adagia sive Prov. Graec. Antv. 1612, p. 114.

quam altero filius erat privatus. Morum igitur castitatem praecipue spectavit, nec homines veluti pecudes inter se misceri voluit.

Ad Charondam 1) venimus, virum egregium, qui legum auctoritatem vitae suae praetulit. Nullum improbum Deo carum esse 2) ideoque omnes decere honestatem et veritatem colere, verecundiam ac pudorem servare, ab intemperantia et iniustitia abstinere docuit. Virtutem anteposuit sapientiae. Inter magistratum et populum amicitiae vinculum intercedere voluit. Aequalitatem divitiarum, quam Plato tanquam summum civitatis bonum consecratur, nequaquam civibus commendandam censuit. Laudat locupletes, modo pauperibus subveniant; iis vero solis subveniatur, qui fortunae, non qui otiosae et intemperantis vitae culpa pauperes facti sunt, quia, secundum ipsius legislatoris verba, omnibus fortunae casus sunt communes, sed vita desidiosa et intemperans maiorum hominum est propria 3). Egregie dictum. Utinam recentioribus civitatum gubernatoribus ver-

1) Charondae leges Platoni cognitae fuisse patere videtur ex Rep. X, p. 599. E.

2) Οὐδείς γὰρ κακὸς θεοφιλὴς, STOBÆUS, Serm. p. 289.

3) Ἐπαινεῖσθωσαν δὲ καὶ εὐδοκίμεισθωσαν, ὅσοι ἂν ὄντες εὐποροὶ τοῖς ἐνδεεστέροις ἐπαρκῶσαν, . . . ἐπαρκείτωσαν δὲ τοῖς διὰ τύχην πενομένοις, καὶ μὴ διὰ βίον ἀργὸν καὶ ἀκατῆ. ἢ μὲν γὰρ τίχῃ πᾶσι κοινόν, ὁ δὲ ἀργὸς καὶ ἀκατῆς βίος κακοῖς ἀνδράσι γένοιτο. STOBÆUS, Serm. p. 289.

misit anulum gestare aureum vestemve operosam et pretiosam induere 1). Cibi etiam commendat temperantiam, nec cuiquam merum bibere concessit nisi medici jussu, valetudinis recuperandae causa 2).

Haec fere sunt, quae cum Platonicis institutis congruunt. Bonorum mulierumve communitas apud Locrensem legislatorem neutiquam reperitur. Syngrapham quidem pecuniae in fœnere positae dari vetuit, teste Zenobio 3), ne usuris obruerentur pauperiores, atque ita jus domini quodammodo circumscripsit, sed neminem prohibuit quominus justo modo opes sibi acquireret. Lege etiam constituit, ut cuique rem, de qua esset controversia, possidere liceret, quamdiu lis sub iudice esset.

A communione vero mulierum prorsus abhorruit Zaleucus, et lege constituit, ut adulteri oculis privarentur, quibus ad flagitium pellecti essent. Ne filio quidem suo in adulterio deprehenso percussisse narratur; sed amore paterno justitiam temperavit, et alterum sibi excussit oculum, post-

---

*tention à leur conduite.* Haecce verba interpolata tamen videntur. Vid. C. C. HEYNI, Opuscula Academica. Gött. 1787, II, p. 33.

1) *Μηδὲ τὸν ἄνδρα φορεῖν διατέλιον ἀπόχρυσον μηδὲ ἐμάτων ἰσομήλιον* STOBÆUS, Sermon., p. 280.

2) *Λοιποῖς τοῖς Ἐπιζευγείοις εἴτις ἄκραιον ἔπιε, μὴ προστάξαντος ἰατροῦ, θεραπεύειας ἕνεκα, θάνατος ἦν ἢ ζημία.* ATHENÆUS, Deipnosophistae, Lugd. 1612. X, p. 429. A.

3) *Συγγραφὴν ἐπὶ τῶν δανεισμάτων μὴ γίνεσθαι,* Prov. Cent. V, 4, in ed. A. SCHOTTI, Adagia sive Prov. Graec. Antv. 1612, p. 114.

quam altero filius erat privatus. Morum igitur castitatem praecipue spectavit, nec homines veluti pecudes inter se misceri voluit.

Ad Charondam 1) venimus, virum egregium, qui legum auctoritatem vitae suae praetulit. Nul- lum improbum Deo carum esse 2) ideoque omnes decere honestatem et veritatem colere, verecun- diam ac pudorem servare, ab intemperantia et in- justitia abstinere docuit. Virtutem anteposuit sa- pientiae. Inter magistratum et populum amicitiae vinculum intercedere voluit. Aequalitatem divi- liarum, quam Plato tanquam summum civitatis bonum consecratur, nequaquam civibus commen- dandam censuit. Laudat locupletes, modo pau- peribus subveniant; iis vero solis subveniatur, qui fortunae, non qui otiosae et intemperantis vitae culpa pauperes facti sunt, quia, secundum ipsius legislatoris verba, omnibus fortunae casus sunt communes, sed vita desidiosa et intemperans ma- lorum hominum est propria 3). Egrege dictum. Utinam recentioribus civitatum gubernatoribus ver-

1) Charondae leges Platoni cognitae fuisse patere videtur ex Rep. X, p. 599. E.

2) Οὐδέεις γὰρ κακὸς θεοφιλῆς, STOBÆUS, Serm. p. 289.

3) Ἐπανείσθωσαν δὲ καὶ εὐδοκμείσθωσαν, ἥσοι ἔν ὄντες εὐποροὶ τοῖς ἐνδεεστέροις ἐπαρκῶσιν, . . . ἐπαρκεῖτωσαν δὲ τοῖς διὰ τύχην πενομένοις, καὶ μὴ διὰ βίον ἀργὸν καὶ ἀκατῆ. ἢ μὲν γὰρ τύχη πᾶσι κοινὸν, ὁ δὲ ἀργὸς καὶ ἀκατῆς βίος κακῶς ἀνθρώπων ἕδειο. STOBÆUS, Serm. p. 289.



ba Charondae semper cordi fuissent! Ita re vera calamitate ista, quam *pauperismum* vocant, homines nostri aevi minus premerentur. Simulatque enim alimenta praebentur iis, qui vitam agunt desidiosam et intemperantem, qui laboris difficultates fugientes, alienae industriae fructibus pasci cupiunt, manus ab aratro avertuntur et civitatem invadit egestas, corruptelae omniumque malorum nutrix. Illi tantum, quorum membra laborem tolerare nequeant, quorum arva fluctibus submersa, quorum tecta et horrea incendio absumpta sunt aut qui aliis fortunae casibus vexantur, jure misericordiam nostram implorant, et plus inde capient auxilii, si divitum opes ignavis alendis nondum erunt exhaustae. Dulce est bene facere pauperibus, dulcius tamen bonorum saluti prospicere 1).

Ut Plato sic Charondas etiam patriae salutem omnibus rebus anteponere boni civis officium esse docuit. Pro patria mori pulchrius dicit quam vivendi cupiditate patriam officiumque deserere, quum honesta mors vitae turpi ac contemptae sit

---

1) De modis perversis, quibus nonnulli pauperum calamitati subvenire conati sunt, vid. W. C. MEES, *Werkinrigtingen voor Armen uit een staatshuishoudkundig oogpunt beschouwd*. Rotterdam 1844. MICHEL CHEVALIER, *Lettres sur l'Organisation du Travail ou Etudes sur les principales causes de la Misère et sur les moyens proposés pour y remédier*. Paris 1848, p. 94 seqq. 132 seqq. M. DE GERANDO, *Le Visiteur des Pauvres*. Paris 1826, p. 327 seqq.

anteponenda 1). Ignavos in bello non morte plecti sicut in plurimis Graeciae civitatibus, sed muliebri vestitu amictos per triduum in foro desidere, et mortuos pia memoria frugumque oblatione honorare jussit 2). Luxuriam odit, nec cuiquam privatarum aedium sumptu publica aedificia superare permisit, unde nomen clarum nemo sibi comparabit, sed infamiam contrahet 3). Contemptus divitiarum, quod commune fere est antiquitatis philosophorum placitum, Charondam etiam adegit, ut eum, qui pecuniae serviret, tanquam hominem pusilli animi, illiberalem, sumtuosae suppellectilis et scenico apparatu instructae vitae stolidum admiratorem contemnat 4). Morum casti-

1) Ὑπερ πατριδος ἀποθνήσκειν σεμνότερον ἔστω, ἢ γλισχόμενον τοῦ ξῆν ἐγκαταλιπεῖν αὐτήν καὶ τὸ καλόν. Κρεῖττον γὰρ τεθάναι καλῶς, ἢ ξῆν ἀσχωρῶς καὶ ἐπονειδίτως. STOBÆUS, Serm. p. 290.

2) Προσέταξε τοὺς τοιοῦτους ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐφ' ἡμέρας τρεῖς καθῆσθαι ἐν ἐσθήσιν γυναικείαις. Μνήμη ἀγαθῆ καὶ τῆ τῶν κατ' ἔτος ὤραίων ἐπιφορᾷ, DIODORUS, XII, 16.

3) Ὁ ἰερά καὶ ἀρχεῖα ὑπερβαίρων τῆ πολυτελείᾳ τῶν ἰδίων μὴ εὐδοξείτω, ἀλλ' ἀνειδιξέσθω, STOBÆUS, Serm. p. 291.

4) Ὁ πλοῦτω καὶ χρήμασι δουλεύων καταφρονείσθω, ὡς μικράψυχος ὢν, καὶ ἀνελεύθερος καὶ καταπληγνόμενος ὑπὸ πτήματος πολυτελῶν καὶ βίου τραγωδομένου, καὶ εὐτελής εἶναι τὴν ψυχὴν ὑπολαμβάνέσθω. STOBÆUS, Serm. p. 291. Mit-  
torem tamen ejus opinionem de divitiis esse quam Platonis patet ex vocabulo δουλεύων. Divitiarum servum solummodo contemnit, h. e. eum, qui pecuniae acquirendae adeo est delitulus, ut personam

tatem Catanensi legislatori prae ceteris cordi fuisse apparet ex egregio praecepto de consuetudine inter maritum et uxorem civibus dato: »Uxorem, ait, legitimam unusquisque diligit et ex ea prolem suscipito; non alio semen profundito, neque rem natura et lege sanctam scelerate et flagitiose insumito. Natura enim liberos procreandi causa, non libidinis gratia semen protulit. Uxor castam se praestet; cum aliis viris vetitam consuetudinem ne ineat. Meminerint enim vindictam instare a daemonibus familiae eversoribus et juriorum satoribus” 1).

Praeclara verba sunt, digna quae aureis litteris in omne aevum consignentur. Quantum praestant haec castitatis honestatisque praecepta Platonicis istis placitis, quae aetate jam provectoribus libidinis explendae gratia prognerandi licentiam concedunt, modo ne foetibus impudicae consuetudinis humanam onerent societatem, sed abor-

---

amisisse videatur, atque ab iis dominari. Plato omnem divitiarum respuit possessionem, quasi viro liberali indignam.

1) Γυναῖκα δὲ τὴν κατὰ νόμους ἕκαστος στεργέτω καὶ ἐκ ταύτης τεκνοποιεῖσθω, εἰς ἄλλο δὲ μηδὲν προϊέσθω τέκνων τῶν αὐτοῦ σποράν· μηδὲ το φύσει καὶ νόμῳ τίμων ἀνόμως ἀναλισκίτω καὶ ὑβριζέτω. ἢ γὰρ φύσις τεκνοποιίας ἔνεκεν, οὐκ ἀκολασίας, ἐποίησε τὴν σποράν. Γυναῖκα δὲ σωφρονεῖν χρὴ καὶ μὴ προσδέχεσθαι συνουσίαν ἀσεβῆ παρ’ ἀνδρῶν, ὡς ἀπαντώσης νεμέσεως παρὰ δαιμόνων ἐξοικιστῶν καὶ ἐχθροποιῶν. STOBÆUS, Serm. p. 291.

tu vel expositione liberos suos vita privent. Quid enim verius quam illud: *ἡ γὰρ φύσις τεκνοποιίας ἐνεκεν, οὐκ ἀκολασίας, ἐποίησε τὴν σποράν?* Quae verba si semper humano generi cordi fuissent, re vera nemo moechus, nemo nothus, quin etiam nemo fere egenus unquam exstisset. Utinam aliquando homines aureo huic praecepto praebeant aures, nec unquam liberos procreent, quos adamare, nutrire et educare vix possint!

Liberorum curam nutricibus publicis non tribuit, sed etiam novercarum duritie et severitate teneram aetatem defendit vetando, ne quis novercae liberos suos educandos tradat, atque ita dissensionis domesticae evadat auctor 1).

Aequae ac Platoni Charondae quoque educatio puerorum quam maxime curae fuit, lege saucienti, ut omnes civium filii litteris erudirentur, utque magistris, quibus hoc esset mandatum, publice erogarentur stipendia 2). Profecto si haec lex vere a Charonda est instituta, legislator maxime est laudandus, qui jam ante tot saecula

1) Ὁ μητρικὴν ἐπιγὰμῶν μὴ εὐδοξείτω, ἀλλ' ἀπειθεῖσθω, ὡς περ' αἴτιος ἂν οἰκείας διαστάσεως. STOBÆUS, Serm. p. 291. Conf. DIDORUS XII, 12.

2) Ἐνομοθέτησε γὰρ τῶν πολιτῶν τοὺς υἱεὺς ἅπαντας μάθαιεν γράμματα, χορηγοῦσθαι τῆς πόλεως τοὺς μισθοὺς τοῖς διδασκάλοις. DIDORUS XII, 12.

illud faciendum praeceperit, quod nostra aetate nonnulli cum magno humanitatis damno tollere et abolere haud erubescunt.

Memorabilis etiam fertur Charondae lex de epicleris, quae aliquam habet similitudinem cum praecepto, quod in Platonis libro de Legibus reperimus 1). Nempe virginem orbam, in patrimonii successionem relictam is, qui gentilitatis gradu erat proximus, conjugem sibi exposcere poterat; et vicissim orba virgo ejus, qui genere erat proximus, nuptias lege vindicare sibi poterat 2).

Leges, quas a Charonda et Zeleuco profectas commemoravimus, multa quidem continent, quae dubitationem de illarum fide movere possunt: neque verisimile est ipsa legum verba a scriptoribus servata fuisse; attamen indolem aetatis qua vixerunt magna pro parte spirare videntur. Quapropter mirum non foret, Platonem eas cognovisse, quamvis ipsius ratio et sententia ab illis multis in rebus discrepet 3). Quidquid est, operae pretium nobis visum est, antequam ad Lycurgi et Minois accederemus instituta, celeberrimas commemorare le-

1) De Leg. XI, p. 924. E.

2) (Νόμος) ἐκέλευε γὰρ τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικάζεσθαι τὸν ἔγγιστον γένους. ὡσαύτως δὲ καὶ τὴν ἐπίκληρον ἐπιδικάζεσθαι τῷ ἀγγιστοτέρῳ. Diod. XII, 13. De epicleris Spartanis infra monebimus.

3) DE ZALEUCI ET CHARONDAE legum fide vid. omnino HEYNE, H. Opusc. Acad. p. 62 seqq. et 166 seqq.

ges, quae ab his diversae in aliis civitatibus vigerent 1).

Jam ad Cretenses et Spartanos transeamus, eorumque inquiramus instituta, quatenus cum Platonicis, quas exposuimus, comparari possint.

Cretensium leges, quae regi Minoi tribuuntur, eandem fere spirant indolem quam Spartanae, atque ideo ἀδελφοὶ νόμοι a Platone dicuntur 2). Magnam eas laudem semper apud omnes Graecos consequutas esse, et omnia fere continuisse, quae cives feliciores reddere possent, ipse testatur philosophus in libris de Legibus 3). Mirum igitur

1) Crotoniatarum aliarumque magnae Graeciae civitatum leges cum Platonicis comparare, ac vim inquirere, quam in illis exercuerint Pythagoras ejusque schola, jucundissimum foret opus, docta lucubratione dignum, dummodo scriptoribus, qui earum faciunt mentionem, fidem habere possimus. Multa enim placita Pythagorae tribuuntur, quae recentioribus addicenda videntur, quapropter ipsius instituta plane discernere vix possumus. Hoc tamen apud viros doctos constare videtur, eum temperantiam, morum severitatem, honorum communitatem inter amicos, educationem philosopham intimamque amicitiam inter sodales praecepisse. De educatione Pythagorea conf. F. CRAMER, Geschichte der Erziehung und des Unterrichts in Alterthum. Elberfeld 1838, p. 99—150. HERMANN, Lehrb. § 90. Qui leges Crotonienses aliarumque civitatum cognoscere cupit, Opuscula legat Academica HEYNI, II. p. 176 seqq.

2) De quaestione utrum Spartani leges suas Cretensibus debuerint, an vero contra, vid. HERMANN, Lehrb. § 20. MÜLLER, die Doctrien II, p. 401.

3) Ἐχρῶν εἰπεῖν, οἱ Κρητῶν νόμοι οὐκ εἰσὶ μίσην διαφε-

non est multa in Platonis occurrere placitis, quae fere eadem in Cretensium legibus reperiuntur, unde colligere poterimus, quam vim illae in philosophi rationibus et placitis habuerint.

Cretensium educationem militiam spectasse et praecipue tetendisse ad bellicam virtutem alendam, discimus ex libris de Legibus 1). Ab illis Plato duxisse videtur illa virtutis bellicae praemia, quae fortibus custodibus post victoriam conceduntur, quum apud Cretenses etiam puerorum amor esset sancitus 2). Agriculturam aversati Cretenses arva colenda servis relinquebant et convivii utebantur publicis, adolescentibus et viris separatim desti-

*ρόντως ἐν πᾶσιν εὐδόκιμοι τοῖς Ἕλλησιν ἔχουσι γὰρ ὀρθῶς τοῖς αὐτοῖς χρημένους ἐδδαιμονας ἀποτελοῦντες· ἅπαντα γὰρ τὰ ἀγαθὰ πορίζουσι, I. p. 631. B. Perfectas tamen Cretensium leges non habuit, sed eas reprehendit, quod juvenes a voluptate nimis arcebant. quam ipse fortitudinis stimulum habet. De Leg. I. p. 635. B.*

1) *Τὸ περὶ τῶν Κρητικῶν νόμων . . . ἐλέγετο εἶναι πρὸς τὸν πόλεμον, ἐγὼ δε ὑπολαβὼν εἶπον ὡς ὅτι μὲν εἰς ἀρετὴν πο- βλέποι τὰ τοιαῦτα νόμιμα κείμενα, de Leg. IV, p. 705. D. conf. I, p. 631, II, p. 666.*

2) De Rep. V, p. 468. B, de Leg. I, p. 636 et VIII, p. 836. B, ubi tamen *παιδεραστίαν* fontem esse dicit infinitorum malorum, tam familiarum quam rerum publicarum eversionis causam praecipuam: *ὄθεν δὴ μυρία γέγονεν ἀνθρώποις ἰδίαι καὶ ὄλαις πόλεσι κακὰ.* Caveamus tamen ne hunc amorem, qualis a principio fuit, quo adolescentes cum adultis honestissimo amicitiae vinculo conjungebantur, confundamus cum nefanda illa *παιδεραστίαι*, quam Plato abhorruit.

natis 1). Aequalis agrorum distributio, qualis fuit Spartae apud Cretenses quidem lege ordinata non erat, sed publica convivia communi frugum collatione habebantur, et singulis praescriptum erat decimam redituum partem in usum conferre communem; reliqua ex agris publicis tributisque suppeditabantur 2). Hae leges quamquam postea in contemptum abierunt, Platonis tamen aetate earum umbra saltem superfuisse videtur, quantum ex ipsius verbis conijcere licet: οὔτε Λακεδαιμόνα προήρου οὔτε Κρήτην ἄς δὴ ἐλάχιστοι φῆς εὐνομεῖσθαι 3).

Pauca haec sufficiant, ut ostendamus Cretensium leges magnam habuisse vim in reipublicae forma Platonis ingenio expressa. Educatio militaris, saltatio armata 4), puerorum amor, agricultura servis relicta, conditio τῶν ὑπηκόων, qui plebi Platonicae fere sunt similes, publica convivia, agrorum fruges in unum collatae, haec omnia satis offerunt similitudinis, ut nobis rempublicam Platoniam statim revocent in memoriam.

Accedimus ad Spartanos. Lycurgum optimum legislatorem a Platone esse habitum testantur ip-

1) Ἀγέλου et ἀνδραγα. Qua de re vid. MÜLLER, die Dorier II, p. 278, 303. De Leg. VIII, p. 847. E., p. 848. C.

2) Καρπῶν τε καὶ βοσκημάτων καὶ ἐκ τῶν δημοσίων καὶ φόρων, κ. τ. ἔ. ARISTOTELES, Pol. II, 7, 4.

3) Crit. p. 52. E. Vid. HERMANN, Lehrb. §. 22.

4) Vid. MÜLLER, Die Dorier II, p. 337.



sus verba in dialogo Minois et Epistola VIII 1). Etiam si vere haec scripta Platoni abjudicanda sint, ipsius tamen respublica satis ostenderet, eum Spartanas leges diligenter attendisse multaque induxisse, quae perfecta suae civitati accommodaverit. Unde fuerunt, qui opinarentur Aristophanem in Ecclesiazusis Athenienses *λακωνίζοντας* Iudibrio habentem, Platonis quoque rempublicam reprehendere voluisse 2). Quidquid est, ipsa legum Spartanarum cum Platonicis comparatio philosophi rempublicam clarius illustrabit 3).

Jam statim magna cernitur similitudo inter custodes Platonis et Spartanos cives. Ut Spartiatae soli participes erant reipublicae administrandae 4), iique publicis utebantur conviviiis atque educatione militari virtutem bellicam maxime exercebant; reliqui vero incolae omnibus pacis juribus destituti erant,

1) *Τὰ νομίμα ὡς θεῖα ὄντα . . . τούτων τῶν νομίμων τὰ βέλτεστα*, Minos p. 313. C. σοφὸς ἀνὴρ καὶ ἀγαθὸς *Αυτοῦργος* Epist. VIII, p. 354. A. Minos vero a nonnullis Platoni abjudicatur. Conf. etiam Hippias, p. 233. E.

2) Dummodo ne obstet ratio temporis. De qua re vid. STALLBACHMUS in Praef. ad Plat. Remp. p. LXVIII et MORGENSTERNIUS: Comm. I, p. 74—73.

3) Supervacaneum est monere nos eas tantum leges spectaturos esse, quae ad nostrum pertinent argumentum, honorum nimiarum, mulierum liberorumque communionem.

4) Spartani cives XXX annis majores tantum comitiis interessant, dummodo ne *ἀτιμίαι* essent exclusi. Vid. HERMANN, Lehrb. § 25. et MÜLLER, die Dorer II, p. 223.

ita custodes etiam Platonici praeerunt reipublicae, vitam agent communem armorumque exercitatione milites egregii evadent, quum ceteris hominibus obtemperandi incumbat officium.

Finis Lycurgi aequae ac Platonicae πολιτείας est totius salutis reipublicae, cui singuli inserviant necesse est. Cives tanquam unius corporis membra habentur, quae omnino inter se conspirare debent, ut totum corpus quam maxime evadat perfectum 1). Educatio igitur puerorum eo tendebat, ut quisque, suis neglectis commodis, civitatis totius salutem tantum spectaret idque summum putaret bonum 2).

Pueri valido et pulchro corpore nati, quamquam non statim postquam nati erant in receptacula, qualia Plato ordinavit, recipiebantur, tamen inde ab anno septimo publice educabantur, atque a domo paterna remoti artem discebant militarem bellique exercebantur laboribus. Infantes deformes, mutilos, invalidos exponi Lycurgum aequae ac Platonem jussisse notum est 3), idque eorum consilio

1) Vid. MÜLLER, die Dorier II, p. 184. »Der Geist des aufopfernden Gehorsams gegen den Staat und die Vorgesetzten, *πειθαρχία*."

2) Idem censuit PLATO: Παιδεία μὲν ἐστὶ ἡ παιδῶν ὀλιγὴ τε καὶ ἀγωγή πρὸς τὸν ἵππο τοῦ νόμου λόγον ὀρθὸν εἰρημέρον καὶ τοῦς ἐπιεικεστάτους καὶ πρεσβυτάτους δι' ἐμπειρίαν εὐνδεδουμένον ὡς ὕψους ὀρθὸς ἐστίν. De Leg. II. p. 659. D.

3) Vid. PLUTARCHUS in Vita Lycurgi c. 16.

erat consentaneum. Simulatque enim civitatis salus unicus est educationis scopus, valida tantum corpora digna sunt, quae civibus adnumerentur; qui vero propter corporis imbecillitatem patriam defendere vix possunt, e medio sunt tollendi. Dura lex barbaris digna, qua vires ingenii, civitatis maximum praesidium, pro nihilo habentur.

Ὁμόνοια et παιδαρχία erant totius educationes principia, quibus musica, gymnastica omnesque ceterae artes inservire debebant 1). Parum colebantur artes ingenii, ac nisi communis vitae consuetudo mentis solertiam acuisset et multarum rerum dedisset usum, plane ἀπαιδευτοὶ fuissent Spartani 2). Vires corporis corroborare et bellicam virtutem angere praecipuus erat finis; ne ipsae quidem puellae exercitationibus virilibus erant immunes, sed tenera membra palaestra exercebant 3). Disciplina severa τῶν παιδονόμων et τῶν βιδέων

1) Vid. XENOPHON, Mem. Socr. III, 5, 15; ubi Socrates καλοκαγαθίαν Lacedaemoniorum majoribus obediendo constare docet; et Resp. Lac. VIII: 1. Ἀλλὰ γὰρ ὅτι μὲν ἐν Σπάρτῃ μέγιστα πείθονται ταῖς ἀρχαῖς τε καὶ τοῖς νόμοις, ἴσμεν ἅπαντες.

2) Γράμματα ἕνεκα τῆς χρείας ἔμαθον, τῶν δ' ἄλλων παιδευμάτων ξηνηλασίαν ἐποιοῦντο. PLUTARCHUS, Inst. Lac. p. 247.

3) Ταῖς δ' ἐλευθέρας μέγιστον νομίσας εἶναι τὴν τεκνοποιίαν πρῶτον μὲν σωμαστικὴν ἔταξεν οὐδὲν ἦτον το θήλυ τοῦ ἄρξενος φύλου. XENOPHON, Resp. Lac. I, 4. Conf. MÜLLER, die Dorier, II, p. 314.

res quidem adolescentiae custodiebat, et cavet, ne ignavia, libidine, protervitate corrumperentur; sed humanioris morum cultus nullam habuit rationem, et mulieribus januam ad omnem licentiam aperuit, quo factum ut Spartanæ matronæ luxurie et libidine apud Graecos famosæ fuerint 1).

*Παιδευαστίαν* Lycurgus non prohibuit, modo ne in nefandam abiret libidinem. Multum prodesse pueris amorem arbitrabatur ad optima studia alenda et ad generosam laudis concertationem excitandam 2).

Quum unice rempublicam spectaret, Lycurgus rem familiarem prorsus neglexit 3). Princeps haberi potest eorum, qui vitam domesticam civitatis saluti postposuerunt, atque ut publicam et civilem constringerent conjunctionem, naturalis necessitudinis vincula solverunt. Matrimonium non sustulit quidem, sed arctissimum vitae consortium, firmissimum illud fidei conjugalis praesidium, relaxavit. Quamquam enim favit matrimoniis et caelibum

1) Ἐπὶ δὲ τῶν γυναικῶν ἐξημέληχε· ζῶσι γὰρ ἀκολούτως πρὸς ἅπασαν ἀκολασίαν καὶ τρυφερώς. ARISTOTELES Pol. II, 6.

2) Εἰ μὲν τις αὐτὸς ὢν, οἷον δεῦ, ἀγαθοὺς ψυχῆν παιδὸς περὶ τὸ ἄμεμπτον φίλον ἀποτελέσασθαι καὶ συνεῖναι, ἐπήγει καὶ καλλίστην παιδείαν ταύτην ἐνόμωζεν· εἰ δὲ τις παιδὸς σώματος ὀρεγόμενος φανεῖη, ἀσχίστοι τοῦτο θεοὶ ἐποίησεν, κ. τ. ἔ. XENOPHON de Rep. Lac. II, 13.

3) Unde libertas illa mulierum Spartanarum explicanda videtur.

vitae mulctas constituit 1), nimirum ut cives patriae procrearentur 2), viros tamen propter labores communes et exercitationes publicas a mulieribus fere segregavit. Interdiu in palaestra, venatione, syssitiis et publicis negotiis occupati erant, noctem saepe etiam in communibus cubiculis transigebant 3).

Publica erant virorum convivia a mulierum et infantium coenis separata; quindecim plerumque convictoribus constabant, inter quos novi sodales (σύσκηνοι) suffragiis adoptabantur 4). Convivia haec sodalitorum loco habebantur, ad quae nemini aditus patebat, nisi qui Spartanorum more educatus pleno civitatis jure gauderet 5). Quisque ad convivia conferebat singulis mensibus portionem frugum, quas suppeditabant Helotae 6): his enim agri colendi cura erat mandata, quum cives

1) Δίκαι κακογαμίου et ἀγαμίου.

2) Vid. XENOPHON de Rep. Lac. c. I. *Αυκοῦργος γὰρ, οὐ μνησάμενος τὰς ἄλλας πόλεις ἀλλὰ καὶ ἐναντία γνοὺς τὰς πλείσταις, προέχουσαν εὐδαιμονίᾳ τὴν πατρίδα ἀπέδειξεν.*

3) Vid. PLUTARCHUS in vita Lyc. c. 15.

4) *Αυκοῦργος, ... οἴκοι σκηνοῦντας, γνοὺς ἐν τοῖτοις πλείστα ἡμεδιουργεῖσθαι, εἰς τὸ φανερὸν ἐξήγαγε τὰ συσκήνια.* XENOPHON de Rep. Lac. V, 2. Coll. VII, 4.

5) *Μετέχειν μὲν γὰρ οὐ βιάδιον τοῖς λίαν πίνουσι· ὄρος δὲ τῆς πολιτείας οὕτως ἔστιν ἀντιὸς ὁ πάτριος, τὸν μὴ θανάμεινον τοῦτο τὸ τέλος φέρειν, μὴ μετέχειν αὐτοῖς.* ARISTOTELES Pol. II, 6.

6) De ἀποφορᾷ Helotarum vid. MÜLLER, die Dorier II, p. 34, seq.

sicut milites in castris viverent, atque omni cura et labore abstinere domestico 1).

Agrorum communicio apud Spartanos non fuit, sed agri inter omnes aequis portionibus erant distributi, quas nec abalienare nec hereditate in minores sortes dividere licebat 2). Rerum quae moventur aequalis distributio fieri non poterat; quapropter harum quodammodo communionem instituit Lycurgus, quum aliorum suppellectile, servis, quadrupedibus, frugibus, uti concederet, si tempus posceret vel necessitas 3). Pecuniae utilitatem quum non perspiceret legislator, qui opificia et mercaturam liberis hominibus indigna arbitraretur, usum nummorum a civitate arcere conatus est ferrea inducenda pecunia, quae magno labore vix ad usum quotidianum sufficiebat 4). Quum mercaturam avaritiae inservire putaret, hanc Perioecis tantum permisit; vetuit item cives

1) Ἀργία ἀδελφῆ ἐλευθερίας. PLUTARCHUS in vita Lyc. c. 24.

2) Conf. MÜLLEB, die Dorier II, p. 190. J. C. F. MANSO, Sparta, ein Versuch zur Aufklärung der Geschichte und Verfassung dieses Staates. Leipzig 1800, I, 2, p. 130 seqq.

3) Οἶον καὶ ἐν Λακεδαιμόνι τοῖς τε δοῦλοις χρῶνται τοῖς ἀλλήλων, ὡς εἰπεῖν ἰδίους, ἔτι δ' ἄλλοις καὶ κισὶ πᾶν δεηθῶσιν ἐφοδίων ἐν τοῖς ἀγροῦς κατὰ τὴν χώραν. ARISTOTELES Pol. II, 2. — Conf. XENOPHON de Rep. Lac. VI, 3: Ἐποίησε δὲ καὶ οἰκέτας εἰς τὰς δεηθείη, χρῆσθαι καὶ τοῖς ἄλλοις. Καὶ κινῶν δὲ θηροεικῶν συνέψα κοινωνίαν.

4) Vid. MANSO, Sparta I, 1, p. 162 seqq.

peregrinos hospitio excipere, aut in regiones peregrinas sine magistratus venia itinera facere 1).

Ne autem distributio illa agrorum pedetentim per hereditates mutaretur, legibus providit, ut agrorum sortes quam maxime familiae cujusque manerent propria dominia 2). Difficultates vero, quae in bonorum distributione insunt, simulatque a jure domini paululum recessum sit, optime cognosci possunt ex celeberrima illa lege de filiabus heredibus apud Spartanos, quae *ἐπιπαματίδες* appellabantur. Nempe, ne bona in aliam transirent familiam, sancitum est ut, deficiente filio, filiae patris forent heredes. *Ἐπιπαματίδες* illae propinquis nubere debebant, quibus jus erat 3).

Itaque pluribus viris ejusdem mulieris concedebatur usus. Nefandum praeceptum, quod bonorum conservandorum gratia leges violavit morales. Quam parum legislator Spartanus lecti conjugalis servaverit sanctitatem, clarius etiam ap-

1) De Spartanorum *ξενηλασία* conf. MÜLLER, die Dorier, II, p. 3, 121; de itineribus prohibitis PLATO de Leg. p. 949. E. seqq., ubi contendit, commercio populorum inter se varios et multiplices mores fieri. *Ἡέφυκε δὲ ἡ πόλεων ἐπιμιξία πόλεων ἢθη κερανύνα παντοδαπά.*

2) Vid. MÜLLER, die Dorier, II, p. 139 seqq.

3) Conf. HERMANN, Lehrb. §. 47. MANSO, Sparta, I, 2, p. 130. — Aristoteles docet leges illas effectum, quem optavit Lycurgus, non habuisse: *Ἔστι δὲ καὶ τῶν γυναικῶν σχεδὸν τῆς πάσης χώρας τῶν πέντε μερῶν τὰ δύο, τῶν τ' ἐπικλήρων πολλῶν γυγνομένων, καὶ διὰ τὸ προΐκας διδόναι μεγάλας.* Pol. II, 6.

parebit, si meminerimus eum marito ad generandum non idoneo legem imposuisse, ut juniori ac validiori concederet uxoris consuetudinem 1). Uxor autem propter sterilitatem statim dimittebatur, atque viduis eorum, qui in bello ceciderant, alii dabantur mariti, servi etiam, qui defunctis prolem et heredes procrearent 2).

Omnium harum legum cum Platonicis comparisonem singulatim instituere, lectori moveret taedium. Satis est ea commemorasse, ut magna inter Lycurgi instituta et Platonis leges, quas perfectae civitati praescripserit, similitudo statim agnoscat.

Ne autem putemus exterarum tantum civitatum mores in Platonis cogitandi ratione vim habuisse. Etiam contemptus, quo mulieres apud Athenienses habebantur, facile eo valuit, ut familiae sanctitas reipublicae saluti longe postponenda ei videretur. Atheniensium enim uxores 3), a vita publica prorsus remotae, a conjugum separatae consuetudine, nisi quatenus liberorum procreatio et educatio posceret,

---

1) *Τῷ γὰρ πρεσβύτῃ ἐποίησεν, ὅποιον ἀνδρὸς σῶμα τε καὶ ψυχὴν ἀγαθεῖν, τοῦτον ἐπαγομένην τενοποιήσασθαι.* XENOPHON Rep. Lac. I, 7. Quod igitur lege jussit Lycurgus, nostra aetate fere sanxit consuetudo, legum et religionis contemnens praecepta.

2) Vid. MÜLLER, die Dorier II, p. 197—199.

3) De quibus conf. D. J. VAN STEGEREN, Diss. litt. inaug. de conditione domestica Foeminarum Atheniensium. Zwollae 1839, imprimis p. 38—68 et p. 103—116.



et saepe *ἑταιρῶν* amoribus postpositae, domi cum ancillis vitam agebant obscuram et contemptam. Jure civili per totam vitam impuberibus similes habitae, nihil agere poterant, nisi auctoritate ejus, cujus potestati erant obnoxiae 1). Quid mirum igitur, si philosophus vitae domesticae praestantiam et beatitatem ignorans 2), matrimonium nihil nisi instrumentum haberet ad cives reipublicae procreandos, hujusque saluti unice intentus, vitae domesticae vincula prorsus resolverit; et instituenda communione mulierum atque aequanda earum cum viris conditione ac victu, sortem illarum emendare et nova educatione meliorem reddere sit conatus?

---

1) Isaeus: *Ὁ γὰρ νόμος διαρρήδην κολύει παιδί μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν μηδὲ γυναικὶ πέρα μεδίμνον κρηθῶν.* Vid. HERMANN, § 122. et D. J. VAN STEGEREN, Diss. jurid. inaug. de conditione civili Foeminarum Atheniensium. Zwollae 1839, p. 84—90.

2) Ne praetermittamur Platonem etiam caelibem fuisse.

## CAPUT SEXTUM.

NONNULLORUM JUDICIA DE REPUBLICA PLATONIS.

---

Platonis placita politica omni aevo multos habuisse et admiratores et vituperatores, nemo fere est qui ignoret. Doctrina, quae totius humanae societatis ordinem subversura videbatur, non poterat non omnium animos percellere. Qui rerum publicarum imperiti nec societate humana contenti in novo rerum ordine unicam salutem quaerendam putarent, hos admiratione placita illa replerunt; qui vero imbecillitatis humanae memores nil perfectum in hocce mundo reperiri posse arbitrabantur, hos acerrimos nacta sunt reprehensores. Illos novarum rerum imago delectabat, quae his inane spectrum videbatur, a mortali genere prorsus alienum et indignum, quod sana mente esset excogitatum; illos fovebat spes salutis futurae, hos deterrebat metus, ne praesens malum pejori futuro locum cederet.

Neque aequalium effugit vituperationes. Aristophanem in Ecclesiazusis id spectasse, ut Platonis carperet rempublicam atque in risum verteret, eleganter disputavit Morgensternius 1); quem tamen redarguit Stallbaumius, Aristophanem moribus Atheniensium *λακωνιζόντων* tantum irrisisse contendens 2). Quidquid est, minor fortasse habeatur poëtae comici in rebus politicis auctoritas, quapropter celeberrimum antiquitatis philosophum, eundemque artis politicae peritissimum adeamus, ejusque sciscitemur sententiam. Audiamus Aristotelem de civitate Platonica, praesertim de communione illa judicantem, virum egregium, qui fictiones poëticas contemnens, vitae veritatem attendit, dignusque est habitus, qui in principum aulas induceret philosophiam, et regem educaret, qui magnam orbis terrarum partem imperio legibusque suis submitit.

In Politicorum libro secundo Aristoteles Platoniam communionem bonorum, mulierum, liberorum examinare et refellere est aggressus, quae quidem disputatio huc fere redit.

»Inquiramus, inquit, utrum communio ista fieri possit necne. Illa enim, quam laudat Plato, qui uxores, liberos omniaque bona communia esse vult, multa habet incommoda, neque est necessaria ad

1) Comm. I, p. 73 — 83.

2) Plat. Dial. Sel. III, 2, Praef. p. LXVIII.

id, quod maxime cupit 1). Unam 2) esse civitatem, est constans desiderium philosophi, quod optima quaeque civitas una esse debeat 3). Attamen civitas, si re vera una sit, civitas amplius non erit, quae ut ex multitudine constet ipsius natura postulat 4): quando enim civitas ad unum illud propius accedit, familia existit; si ulterius progrediatur, familia in unum hominem evadet: quapropter unum illud naturae civitatis est contrarium 5). Respublica porro hominibus constat, qui inter se differunt, neque audiendi, qui eam *συμμαχία* similem esse putant: ex iis igitur, quae genere sunt diversa, unum nasci debet 6). Porro eos, qui similes sunt inter se, aequalem habere administrandae reipublicae partem libertas postulat et aequitas 7); omnes vero simul reipublicae praeesse non possunt, sed alternis vici-

1) Ἐν τῇ Πολιτείᾳ τοῦ Πλάτωνος . . . ὁ Σωκράτης φησὶ δεῖν κοινὰ τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας εἶναι καὶ τὰς κτήσεις.  
ARISTOTELES Pol. II, 1.

2) De uno illo, quod in civitate desiderat vid. STAHL, Phil. des Rechts, p. 14. TENNENANN, Gesch. der Phil. p. 511. Conf. etiam TH. MORUS, Utopia p. 101.

3) Αἰγὼ δὲ τὸ μίαν εἶναι τὴν πόλιν πάσαν, ὡς ἀριστον εἶναι μάλιστα. I. c.

4) Πλήθος γὰρ τε τὴν φύσιν ἐστὶν ἡ πόλις. I. c.

5) Ἀνωρεῖται γὰρ τὴν πόλιν. I. c.

6) Ἐξ ὧν δὲ δεῖ ἐν γενέσθαι, εἰδει διαφέρει. I. c.

7) Ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς ἐλευθέροις καὶ ἴσοις ἀνάγκη τοῦτ' εἶναι. I. c.

bus per anni aliudve temporis spatium partes mutare debebunt: quo fiet, ut revera omnes civitatem administrent, aeque ac si sutores et fabri lignarii se invicem exciperent. Praestat vero tam in gubernanda republica quam in artibus exercendis, eosdem semper iisdem rebus operam navare 1). Sed aequalitas postulat, ut omnes regiminis sint participes, atque iidem nunc imperent, nunc pareant: unde satis patet, unam illam civitatem, quam voluit, re vera constare non posse. Unum illud, civitatis naturae contrarium, ipsam tollit; quod autem alicui rei prodest, id non tollit eam, sed servare conatur.

»Alio quoque modo demonstrari potest, unum in civitate non esse appetendum. Civitas enim sibi ipsa magis sufficit quam familia, et familia sibi est sufficientior quam unus homo. Praestat sibi sufficientem esse quam aliis indigere, unde sequitur rem melius se habere, si minus una sit.

»Contendit Plato unum illud nasci, si omnes idem dicant suum et alienum 2). In hoc vero falsa

---

1) Quid operae divisio valeat in opificiis, docuit ΣΜΙΤΗ, *Wealth of Nations* I, p. 5 seqq. SAY, *Cours Compl. d'Ec. Pol.* p. 78. MILL, *Princ. of Pol. Occ.* I, p. 141—162.

2) Ἐὰν πάντες ἄμα λέγωσιν τὸ ἐμὸν καὶ τὸ μὴ ἐμὸν τοῦτο γὰρ οἶεται Σωκράτης σημεῖον εἶναι τοῦ τῆν πόλιν τελείως εἶναι μίαν. I. c. In *Rep.* Plato dixerat: Ἄρα φθέγγονται ἐν τῇ πόλει τὰ τοιάδε ζῆματι, τὸ τε ἐμὸν καὶ τὸ οὐκ ἐμὸν: καὶ περὶ τοῦ ἀλλοτριῶν κατὰ ταῦτά. V, p. 462. C.

ratiocinatio est, orta ex ambiguo sensu vocabuli πάντες, prout vel singuli vel cuncti eo significantur. Nam omnes quidem dicent: haec est uxor, hi liberi, haec bona nostri omnium; non vero unusquisque de unaquaque muliere dicet: haec est mea uxor; neque magis de liberis vel bonis: hoc enim absurdum est, illud vero ad concordiam inefficax. Sed habet etiam aliud vitium, nempe hoc: quod ad omnes simul pertinet, id negligentius curari solet 1). Suis enim rebus quisque majorem adhibet curam quam iis, quae omnibus sunt communes, quia putat alterum oportere iis prospicere: quemadmodum si paucos habeas servos, hi melius ministerio fungentur quam si pluribus utaris. Mille filios quisque civis habebit, et quilibet unus filius habebitur cujuslibet; ita fiet ut ab omnibus filii omnes pariter negligantur 2). Omnes eos filios suos dicent, sed dubitanter, quum non constet, quis filium genuerit, nec cujus filius sospes servatus, vel quis propter corporis defectum sublatus sit. Num igitur haec vivendi ratio anteponenda est ei, qua nunc utuntur homines? Apud nos idem ab alio dicitur filius, ab alio frater, consobrinus ab alio, et longe praestat

1) Ἡμισυ ἐπιμελείας τήχχανει. l. c.

2) Γίνονται δ' ἐκάστῳ χίλιοι τῶν πολιτῶν υἱοί, καὶ οὗτοι οὐχ' ὡς ἐκάστου, ἀλλὰ τοῦ τυχόντος ὁ τυχὼν ὁμοίως ἐστὶν υἱὸς ὅσπερ πάντες ὁμοίως ὀλιγορήτουν. l. c.

necessitudo, qualis inter consobrinos nostros obtinet, ei vinculo, quod apud Platonem inter parentes filiosque reperimus. Nec prohiberi potest quominus vel parentes liberos suos vel fratres se invicem agnoscant, quum ipsa vi naturae vulgo sui nascantur similes. In Libya quoque, ubi communio est uxorum, liberi pro similitudine distribuuntur, et animalium catuli parentibus vulgo sunt simillimi. Iis porro, qui talem communionem instituere cupient, difficile erit evitare homicidia, tam voluntaria quam invita, pugnas et contumelias 1). Quae omnia eo magis vituperatione digna erunt quod in parentes fient; et crebriora erunt, si parentes liberique se invicem ignorabunt. Custodibus praesertim parum idonea est illa communitas, quae magis conveniet agricolis: communitas enim mulierum et liberorum amicitiam tollet, quae est admodum necessaria, ut subditi iis obtemperarent nec seditiones moveant. Quamobrem lex Platonis contrarium efficiet ejus, quod ipse desiderat. Amicitiam enim maximum civitatis bonum nos habemus, quia seditiones antevertit; communitas vero necessitudinum amicitiam languidam 2) reddit. Duabus enim causis amor augetur, nimirum eo

1) Οἶον αἰκίας καὶ φόνους ἀκουσίους, τοὺς δ' ἐκουσίους, καὶ μάχας καὶ λοιδορίας. l. c.

2) Ὑδαρῆ. l. c. Addit: Ὡσπερ γὰρ μικρὸν γλυκὺ εἰς πολὺν ἔσθωφ. μυχθὲν ἀναισθητοῦ ποιεῖ τὴν κρῆσιν, κ. τ. ε.

quod aliquid proprium, et eo quod carum nobis est: neutrius horum Platonici cives participes erunt 1). Magnae quoque difficultates erunt in pueris a classe agricolarum et opificum ad custodes transferendis, neque prohiberi poterit quominus ii, qui pueros ab uno ordine ad alium transferant, eos quos cuique assignent cognoscant. Homicidia et injuriae magis etiam fient apud translatitios illos quam apud reliquos, quia neque custodes neque ceteros cives habebunt fratrum loco, atque adeo minus etiam a violentia abstinebunt.

»Cum ista communitate mulierum et liberorum aretissime cohaeret communio bonorum. Quaeri potest num haec sit admittenda, etiamsi illam rejiciamus, exempli gratia ut agri dominia sint propria et fructus in commune conferantur, uti fit apud nonnullas gentes, vel ut agri communes sint et fructus privatorum, vel ut et agri et fruges pariter sint communes.

»Id fieri poterit fortasse, dummodo ager a servis colatur. Si enim ab ipsis aratur, illi, qui majorem adhibebunt operam frugesque inde percipient minores, eos culpabunt, qui minore adhibito labore plures tamen fructus nanciscentur. Homines enim non facile vita communi utun-

1) Δύο γὰρ ἔστιν, ἃ μάλιστα ποιεῖ κήδεσθαι τοὺς ἀνθρώπους καὶ φιλεῖν, τὸ τε ἴδιον καὶ τὸ ἀγαπητόν ὧν οὐδέτερον οἷόν τε ὑπάρχειν τοῖς οὕτω πολιτευομένοις. l. c.



tur 1). Qui una peregre proficiscuntur, saepius inter se dissentiant, et plurimum objurgamus eos famulos, quibus ad ministerium utimur quotidianum 2). Multa igitur habet incommoda honorum communio, et longe praestat illud vitae institutum, quod nunc apud nos obtinet. Dominia sint propria; benevolentia vero fructus faciat quasi communes, sicut proverbio dicitur *κοινὰ τὰ φίλων* 3).

»In nonnullis civitatibus hoc obtinet, ut, quamvis propria sint dominia, rebus quibusdam utantur communiter, ut apud Spartanos, qui alienis mutuo utuntur servis, equis, canibus, frugibus etiam, quando peregrinantur. Praestat igitur dominia esse propria, eaque usu fieri communia, quod praeceptum ut animis civium inhaereat, legislatoris est providere. Multo etiam jucundius est suum habere dominium, nec sine causa amor sui omnibus mortalibus est inditus; porro dulce est amicis hospitibusque opem ferre, quod fieri nequit, nisi propria sint dominia. Haec omnia vix locum habebunt in civitate, quae prorsus una est, ut nonnulli volunt: quippe qui duas ex ea tollent virtutes primarias, castitatem erga

1) Ὅλος δὲ τὸ συνῆν καὶ κοινωνεῖν τῶν ἀνθρώπων πάντων χαλεπὸν καὶ μάλιστα τῶν τοιοῦτων. ARISTOTELES Pol. II, 2.

2) Δικονίας ἐγκυκλίους. l. c.

3) Δι' ἀρετὴν δ' ἔσται πρὸς τὸ χρῆσθαι κατὰ τὴν παρामीαν κοινὰ τὰ φίλων. l. c.

mulieres et liberalitatem in bonorum dispensatione 1). Legislatio hujusmodi speciosa tamen est et humana videtur, ideoquo multis arridet, quasi omnium inter se augeat amorem 2).

»Mala, quibus nunc laborant civitates, immerito tribuuntur juri dominii, quia non ex illo oriuntur sed ex hominum perversitate. Communis enim dominii participes plerumque magis inter se litigare solent, quam qui propriis utuntur bonis. Quodsi quis opponat lites de bonis communibus esse rariores quam controversias de dominiis privatis, id nihil demonstrare videtur, quum communia etiam bona privatis multo sint rariora. Atque in eo quoque minus juste agunt dominii vituperatores, quod mala tantum enumerant neque agnoscunt commoda, quae illud nobis affert.

»Causa autem Platonis errorum posita videtur in perversa ejus *ὑποθέσει*, quod nempe unam esse civitatem oportere statuens ab hocce principio omnia deducere conatus est. Omnibus enim in rebus una esse civitas non debet, ne re vera civitas esse desinat aut in pejus ruat. Plato de republica disputat eodem modo, acsi quis consonantiam uno sono, vel rythmum uno ictu constare puta-

1) Σωφροσύνης μὲν τὸ περὶ τὰς γυναῖκας .... ἐλευθεριότητος δὲ τὸ περὶ τὰς κινήσεις. l. c.

2) Εὐπρόσωπος μὲν ὄν ἡ κοινὴ νομοθεσία, καὶ φιλόπρωτος ἂν εἶναι δοξέειν. l. c.

ret 1). Consensio illa, quam optant in republica, e multitudine constanti, recta educatione tantum effici poterit. Moribus, philosophia, legibus regatur civitas, non vero institutis istis Platoniceis. Neque vero omnium saeculorum experientia est rejicienda, quae illa humanas mentes non celavisset, si re vera meliora fuissent. Nam omnia, quae Plato docet, jam sunt inventa; sed partim non conjuncta, partim in vitae usum non recepta sunt. Quod clarius etiam pateret, si talem civitatem re vera constitutam cerneremus, quam necesse esset rursus in *ουσιότητα*, *φρατρίας* et *φυλάς* dividi: quo facto nihil proprium ei relinqueretur, nisi quod custodes ab agricultura abstinerent. Plato non definit, utrum ceteri cives, opifices et agricolae communia habituri sint bona an privata dominia, neque an uxores liberique iis communes futuri sint 2). Quodsi hi quoque omnia habeant communia, re vera nullum foret inter agricolas et custodes discrimen; neque ullo modo subditi esse poterunt, nisi, ut apud Cretenses, servi omnium rerum praeter gymnasia publica et arma fiant

1) "Ὡσπερ γὰρ εἴ τις τὴν συμφωνίαν ποιήσῃεν ὁμοφωνίαν, ἢ τὸν ἑνθμὸν βᾶσιν μίαν. l. c. De harmonia Platonica conf. etiam TENNEMANN, Gesch. der Phil. p. 433 seqq.

2) Quod Aristoteles hoc dubitanter dixit, indicio est, eum locos Platonis, quos supra attulimus, non satis attente legisse, e quibus lucide demonstrasse mihi videor, Platonis communionem ad custodes tantum spectare, non vero ad reliquos civitatis incolas.

participes 1). Alioquin in ista civitate duae essent civitates, sibi invicem oppositae, altera custodum, altera agrorum et opificum; unde multae oriuntur lites necesse est. Opinatur tamen Plato multis legibus opus non esse, dummodo custodes utantur educatione, quam ipse iis praescripsit. Agricolas dominos facit agrorum eosque jubet custodibus solvere mercedem: quod si fiat, longe difficilius et superbius erunt agricolae quam subditi, quales in civitatibus, quae nunc exstant, reperiuntur. De educatione autem, institutione et legibus subditorum nihil dixit, quamvis haec magnam vim habeant ad custodum communionem sustentandam. Porro si mulierum apud illos erit communio, quis rei domesticae prospiciet, dum viri agriculturae curam gerunt? Comparatio brutorum, quam affert, ut mulieres eadem facere debere ac viros doceat, prorsus est absurda, quia nulla est animalium *οἰκονομία*. Periculosum foret more Platónico semper eosdem creare magistratus, quippe quod ceteros viros fortes et belli peritos minus contentos redderet. Leges non singulorum sed universae reipublicae salutem spectare oportere contendit; sed universa civitas beata esse non poterit, nisi etiam singulae partes bea-

1) Κρήτες, .... τὰλλα ταῦτα τοῖς δούλοις ἐφέντες, μόνον ἀπειρήκασιν τὰ γυμνάσια καὶ τὴν τῶν ὀπλων κτῆσιν. Ex hisce verbis apparet Aristotelem ipsum etiam communionem universorum reipublicae Platonicae principio contrarium habuisse.

titatis ejus sint consortes. Et quinam erunt beati, nisi custodes talis sortis sint participes, quam opificibus certe et plebi nequaquam destinare videtur 1)? Haecce igitur incommoda in Platonis civitate reperiuntur, ut alia multa minoris momenti praeteream."

Habemus summi antiquitatis politici de commentitia Platonis republica sententiam. Quae num recte se habeat, lectoris relinquimus iudicio 2). Satis duxi Aristotelis rationes enarrasse, quas si cum Platonice singulatim comparare vellemus, vereor profecto, ne legentium patientia abuterer. Illud neminem fore arbitror qui dubitet, Aristotelis doctrinam Platonis in arte politica commentis multo praestare, eumque summo jure plures illius fictiones et commenta in perfecta civitate redarguisse 3).

1) Singulorum salutem parvi facit, dummodo universae reipublicae felicitas efficiatur. »Dieser Staat besteht nur um sein selbst um der Herrlichkeit seiner Erscheinung willen, und der Bürger ist nur bestimmt, als ein dienendes Glied sich in die Schönheit seines Baues zu fügen." STAHL, Phil. des Rechts, p. 17. Conf. DEGERANDO, Hist. Comp. p. 258: ubi de Rep. Plat. dicit: »La morale individuelle et les institutions sociales sont non seulement rapprochées, mais tellement unies, qu'on se méprend souvent en appliquant à celles-ci, ce qu'il n'entend dire que de celles-là."

2) Vid. PINZGER, De iis, quae Aristoteles in Platonis Politia reprehendit. Lips. 1822.

3) Ciceronis quoque de Platonis Republica iudicium dignum foret quod accurate tractaretur, nisi liber ejus de Republica quoad exstat

Ceterorum doctorum hominum iudicia saepe discrepantia de republica Platonis cuncta colligere, quamvis opus foret haud supervacuum neque a nostra disputatione prorsus alienum, tamen propositae scriptionis terminos et otii nobis concessi modum excederet. Unum tamen superest, quod omittendum non duximus, nempe quam vim in doctorum iudiciis habuerint impetus eorum, qui *communistae* vulgo appellati, omnes humanitatis leges spernentes, societatis humanae fundamenta labefactare non veriti sunt.

Antea enim Platonis placita, commentitia quamvis et somniorum instar habita, tamen viros doctos delectabant, eos praesertim, qui, a turbis remoti civilibus, quiete fruente otio Academiae, perfectae illius civitatis gaudebant imagine, neque imminens societati humanae periculum animadvertēbant, donec proletariorum genus, falsa demagogorum doctrina 1) excitatum, in alienas possessiones in-

---

in omnium paene manibus versaretur. Fisiones Platonicas a viro Romano, qui usu et experientia respublicas cognoverat, parum humano generi congruas habitas esse, quis dubitat? Conf. tantum LAELII verba in Rep. Cic. II, 11: »Nam princeps ille, quo nemo in scribendo praestantior fuit, aream sibi sumpsit, in qua civitatem extrueret arbitrato suo; praeclaram ille quidem fortasse, sed a vita hominum abhorrentem et a moribus.»

1) Iis, qui nostram legerunt disputationem, satis erit persuasum, quantopere Platonica doctrina abusi sint demagogi, qui philosophi auctoritatem invocabant ut suam affirmarent doctrinam exitialem.

volans, communionem istam honorum ex mundo idearum in civitates et domus transferre conaretur. Gaudebant pulchro somnio, dummodo ne in veritatem abiret; pertimescebant vero doctrinam, quam prius ad astra extulerant, simulatque existissent, qui eandem in vitam et consuetudinem transferre conarentur.

Nonnullorum igitur colligamus eruditorum effata, unde intelligere possimus, quanto in honore philosophi Atheniensis doctrina recentiori aevo a viris doctis habita sit, antequam periculum ejus metueretur; et in quam acres eadem incurrerit reprehensiones, postquam Plato a demagogis princeps praedicari coeptus est ejus barbariei, quam *communismi* nomine jactarunt 1).

Platonis de Republica liber »opus est perfectissimum, idque philosophis non tantum, sed universo hominum generi maximi momenti habendum 2).“

---

Qua de re conf. SUDRE, Hist. du Comm. et REYBAUD, Etudes sur les Reform. passim.

1) Ne tamen putemus omnium virorum doctorum sententias de Platone esse mutatas. Suos semper habuit patronos, inter quos noster fuit HEUSDIUS, qui anno 1836 adhuc scripsit: »Intelligimus exinde, quanti nobis pretii hoc antiquitatis monumentum faciendum sit. Et sane *singulare* propemodum opus dici potest.... Quo autem rectius praestantissimi hujus operis perspiciatur ratio, cet.“ Initia Philosophiae Platonicae. Traj. 1836, III, p. 125 seq.

2) »Das vollendeste aller Platonischen Werke, dasz nicht bloß für den Philosophen, sondern für der Menschen überhaupt von den höchsten Interesse seyn muß.“ AST, Plat. Leben und Lehr. p. 341.

»Divinum opus" est atque »inter eruditos quidem homines illud constat, librorum ejus viri, quem deum quasi philosophorum Cicero nominare non dubitabat, nullum esse quod, sive rerum intuearis et gravitatem et varietatem, ex omnium fere doctrinarum artiumque liberalium penetralibus depromptarum, sive orationis summam spectes elegantiam et venustatem, cum illo pulcherrimo operum comparari posse videatur 1)."

»Magna cum disserendi elegantia divinus philosophus de hominis ad virtutem indole deque ejus perfectione ita exposuit, ut simul virtutis dignitas et praestantia in clarissima luce collocata sit 2)."

»Plato (praecipue in libris de Republica) rerum divinarum idearumque aeternam praestantiam, nec non verae virtutis, positae in consensione vitae actionumque cum ideis sive aeternis pulcherrime principis mente humanae inditis, declarare et exprimere studuit 3)."

In sensu morali indagando altius quam Socra-

1) MORGENSTERNIUS, de Plat. Rep. Comm. I, praef. p. 1, 3.

2) STALBAUMIUS, Praef. ad Plat. Remp. p. LXXXIII.

3) WELCKER, Letzte Gründe, p. 430, seq.: »Platon . . . sucht (vorzüglich in seiner Republik) den ewigen Werth des Göttlichen und Idealen, der wahren Tugend der vollkommenen Harmonie des ganzen Seyns mit den Ideen, den dem menschlichen Geiste eingepägten Urformen des Göttlichen geltend zu machen." Conf. G. GROEN VAN PRINSTER, Ongeloof en Revolutie. Leiden 1847, p. 26.



tes penetravit, hominumque animum acerrima mentis acie intuitus est 1)."

»Sensus moralis veluti unguentum pretiosum per omnem Platonis dispersus est doctrinam 2)."

Hujusmodi laudibus paene omnes philosophum extollebant Atheniensem, dum praecepta ejus in scholarum umbra latebant, nec quisquam ea in lucem proferre et ad vitae usum adhibere aggredebatur. Nuper vero novissimae rerum conversiones in Francia factae 3) satis palam omnibus ostenderunt, communionem bonorum non amplius philosophantium somnium esse vel poetarum commentum, sed jam in ipsam vitae lucem emergere.

Favor enim, quo multi Cabeti doctrinam amplexi sunt nec verebantur sectatores ejus se profiteri, civium bonorum movit animos, ut monstro appropinquanti se opponerent. Nam ut rivulus in montibus ortus, dum intra firmas rupes inclusus labitur, vix peregrinantium ad se advertit oculos; mox vero in torrentem abit devastantem, villas amoenas in paludes convertit, et omnia secum rapit, simulatque saxorum liberatus vinculis in

---

1) TENNEMANN, *Gesch. der Phil.* II, p. 468.

2) »La morale . . . est répandue, comme un parfum exquis, dans toute l'atmosphère des notions, que Platon a embrassées." DEGERANDO, *Hist. Comp.* II, p. 258.

3) A°. 1830 et 1848.

in valles descendit, sic quoque praecepta illa *communistarum* legum vinculis coërcita parum animadvertebantur; generi autem humano minabantur vastationem et omnium jurium ac institutorum eversionem, postquam rerum conversione ipsius reipublicae fundamenta labefactari coepta sunt.

Quid mirum igitur etiam virorum doctorum mutata quodammodo esse judicia de Platonis republica, ut quae commendaret instituta similia iis, quae jure ab omnibus bonis civibus respuebantur? Libri nimirum Stahlî et Raumeri, qui eodem fere tempore prodierunt, parciores sunt in philosopho laudando, nec verentur rationes ejus reprehendere.

»Respublica Platonica, inquit Raumerus, est tale educationis institutum, quo doctores opponuntur discipulis, h. e. magistratus philosophi subditis civibus. Quod institutum si copuletur cum doctrina, qua omnia opificia homine libero indigna habentur, adducit ad divisionem ordinum (castarum) plane tyrannicam, et servitatem agnoscit tanquam naturale vitae institutum. Ceterorum civium cultus et humanitas a doctoribus illis pendeat, qui, ut unanimes sint, communibus utentur bonis et mulieribus. Concubitus inducit vulgarem pro matrimonio, et vitam arceat domesticam: qua sublata, nulla patet via ad civitatem condendam, simulatque etiam jus privati dominii arceatur a republica. Homo negligitur, ut civis

existat optimus. Omnia, poësis, religio, mores, censurae intolerabili submittuntur, et singuli jura sua amittunt, ut excogitatae civitatis species omnibus numeris absoluta existat 1).”

Pulchrum magis quam justum in civitate attendisse Platonem contendit Stahlus. »In pulchro enim partes conspirant; sui tamen nullam habent conscientiam, neque ulla earum utilitatis habetur ratio. Justum vero unicuique concedit, ut sit, fruatur et moveatur, utque ipse unus sit totus, majoris unius particeps. Hoc vero in Platonis republica non reperitur: hominem hominisque salutem, libertatem, mores et indolem philosophus pro civitate devovet. Sola civitas vere ipsa per se est, nec civis aliud nisi pars, quae pulchritudini totius inserviat. Lex tamen est aeterna, ut quidquid a ceteris se separat iisque damnum infert, horum interitu ipsum simul in perniciem trahatur. Hoc ipsum, quod Plato singulorum jura contempsit, impedimento fuit, quominus praeclarum quod sibi proposuerat opus, unam et consentientem civitatem, efficere posset 2).”

Apparet e locis allatis, eximias laudes, quibus

1) v. RAUMER, Gesch. Entw. p. 14, 15, ubi inprimis haec verba attendantur: »der Einzelne, mit seiner Eigenthümlichkeit und seinen Rechten wird einem abstrakten Gedanken von höchster Vollkommenheit des Staatslebens geopfert.”

2) STAHL, Phil. des Rechts, p. 16, 17.

antea philosophum ornabant, magnopere esse imminutas, simulatque exstitissent, qui doctrinae ejus periculum facere conarentur. Inter acerrimos autem Platonis vituperatores nominandus est Sudre, cujus liber historiam *communismi*, qui dicitur, continens, post recentissimam rerum conversionem Francicam editus est. Hic in doctrinam Platoniam valde invehitur, quam nihil aliud esse dicit nisi animi delirantis somnium 1).

»Plato, inquit, humanitatis contemnit principia, homines brutis facit inferiores. Ut optimatibus otium largiatur, civibus, qui utiles artes exercent, omnia adimit jura civitatis et servitutem iis imponit 2). Optimates illi mulieribus utentur communibus, liberos reprobatos exponunt. Amori conjugali et paterno substituitur copulatio absurda et nefaria. Primus ille exstitit patronus rationis ejus, qui dicitur *communismus*, quippe qui possessiones privatas cum perfecta republica non congruere arbitratus, jus domini vitamque domesticam sustulerit 3).»

1) »Rêves délirants d'une imagination exaltée." Hist. du Comm. p. 25; »Rêve d'une imagination enthousiaste égarée; déplorables erreurs" p. 28, etc.

2) Confitetur tamen hoc ad propositum communismi esse necessarium: »Le système de ce philosophe serait encore celui, dont l'application présenterait le plus de chances de succès, parce qu'il a pour base l'esclavage et l'avilissement des classes agricoles et industrielles." Hist. du Comm. p. 28.

3) »Quant au principe de la famille, il est impossible de l'anéan-

Haec possunt esse exemplo, quid valeant tempora ad hominum iudicia de rebus iisdem mutanda.

tir plus complètement que le philosophe, qui réglemente la promiscuité des sexes et arrache les nouveaux nés à leur mère. Ainsi Platon est un communiste complet et logique." Hist. du Comm. p. 26.

## CONCLUSIO.

---

Recensitis diversis eruditorum virorum sententiis, restat ut nostrum his iudicium addamus: negotium haud sane levissimum, nisi jam antea passim opinionem nostram de placitis Platoniceis professi essemus. Quare brevis recordatio eorum, quae antea exposuimus, additis nonnullis, quibus idoneus dicendi locus tum non erat, sufficient, ut nostrae de Platonis communiione disputationi finem imponamus.

Platonis *πολιτεία* olim omnium paene laudibus elata, a multis nunc reprehenditur, neque ego sum, qui doctrinam defendam generi humano parum commendandam. Reipublicae unius salutem dum quaerit, jura singulorum non curat; privatorum salutem, libertatem, mores prorsus paene negligit. Dum summam spectat totius civitatis harmoniam, tollit libertatem nec ullum paene relinquit eligendi arbitrium. Nemini civium conceditur jus munus sibi vel vitae genus optandi;

suum cuique tribuitur munus, quo fungi oporteat. Personarum nulla habetur ratio, sed ingeniorum tantum, quorum plerisque ne facultas quidem conceditur scopum civitatis indagandi, quo tendere debent, et cuius ipsi erunt participes. Magistratibus interdicit fructum omnium rerum, quae vulgo ab hominibus optantur, neque beate vivere iis permittit. Si objicitur legislatori, quod custodum felicitatem negligit, quod infantes mutilos tanquam civitati parum idoneos morti exponit, quin etiam medicos 1) e civitate arcet, ut qui homines foveant inutiles et morbos alant, respondet, totius reipublicae utilitatem tantummodo esse spectandam, non vero paucorum. Nemini licet eo fungi munere, cui natura eum destinavit, ne mulieribus quidem, quarum manus inbecilles ferro armat; reipublicae quod prodest, unice spectatur. Arcetur poesis, ne animos civium corrumpat; vita prohibetur domestica, principium illud humanitatis, ne quis lucrum privatum sectetur. Matrimonium cedit brevi consortio vitae, quod omnem tollit fidem conjugalem. Amorem auferit patribus, qui liberos suos ignorabunt. Pueros recens natos a matribus avellit. Quis talem amet civitatem, quae arcissima solvit amoris vincula?

Nihilominus communionem illam, qualem nunc

---

1) Vid. F. SCHLEYERMACHER, *Sämmtliche Werke*. Berlin 1835, III, 3, p. 273 seqq.

fanatici quidem laudant politici, qui *communistas* se vocant, Plato non proposuit. Cōpulatio viro-  
rum et mulierum, qualem praescribit, brevi matri-  
monio est similis, magistratum fiet auspiciis,  
per festorum tantum tempus instituetur. Sana  
proles plurimum prodest reipublicae: ideo debiles  
e medio tolli jubet, institutum immane sane, at  
Spartae quoque publicae utilitatis causa receptum.  
Domestica autem vita adeo negligebatur in Grae-  
cia, ut Athenienses meretrices saepe uxoribus an-  
teferrent, utque conjux Spartanus, qui liberos  
non haberet, alteri, servo etiam, lectum cederet  
conjugalem. Quid mirum, si Plato hujus vitae  
resolverit vinculum, et civitatem quasi magnam  
instituerit familiam, mille constantem hominibus, qui  
parentum ac liberorum loco futuri sint?

Nec prorsus tollit jus domini: plebem posses-  
siones habere non prohibuit. Merces communis,  
qua utentur civitatis custodes, non erit plane  
communio bonorum, quia bona omnino non ha-  
bebunt. Id eo tantum spectat, ut omnis ab  
iis arceatur ambitus et aemulatio. Fructibus igi-  
tur utentur aliorum labore partis, nec tamen  
ceteros oppriment, quos gubernare debent atque  
defendere. Hi enim subditorum, non servorum  
erunt loco, iisque via patebit, qua ex inferiore  
classe ad superiorem meritis suis adscendant, ne  
plebs omnino arceatur a magistratibus gerendis.

Communio ista bonorum sive mercedis aequalis



distributio inter magistratus et milites, quamvis procul dubio sit vituperanda, prorsus absurda tamen non est. Omnem tollit aemulationem et excellendi studium; fateor; at cohibet etiam nimiam imperandi cupiditatem. Neque ii sunt audiendi, qui communionem bonorum fieri posse omnino negant. Quidni inter paucos amicos vel socios satis divites ea obtinere possit? Modo ne quis inter universos homines eam instituere conetur: omnium enim locupletum divitiae vix sufficerent, ut immensae pauperum multitudini aliquod levamen afferri posset 1). Simulatque enim communitio ad universam extenditur civitatem, exorietur turba pauperum, divitibus inimica, eorumque opes brevi tempore consumet. Fieri potest inter amicos; amicitia vero stabilis inter pauperes et divites nunquam erit. Nec divitiae communes augebuntur propter hoc ipsum, quod sunt communes: quis enim studebit parcimoniae, si aliis parcat, non sibi liberisve suis? Quae nisi augeantur, fames orietur necesse est propter constans populi incrementum 2).

Animadvertamus etiam Platonem praecepta sua non toti humano generi, non terrarum orbi dedisse, sed urbi 3) tantum; nec praetermittamus

---

1) Num bonorum communitio inter perfectos homines fieri posset, inanis quaestio est, quod nunquam perfecti reperiuntur homines.

2) SLOET TOT OLDHUIS, Tijds. voor Staath. l. c.

3) Recte F. KÖPFEN, Politik nach Platonischen Grundsätzen. Leipzig 1818, p. 7: »Zuvörderst schwebt den Griechen bei ihren

civitates Graecas, quas maxime ante oculos habuit, parvas fuisse respublicas, unius vel paucorum oppidorum finibus circumscriptas, simplici victu et cultu contentas, partim in humanitatis adhuc incunabilis versantes, ubi communitio ista honorum rei naturae minus erat contraria, primis saltem temporibus. Maxime vero illud est attendendum, in civitatibus illis viguisse servitutem magnumque incolarum numerum nomine peregrinorum inter cives receptum non fuisse, quare turbulenta illa multitudo, nullis vinculis reipublicae conjuncta, novarum rerum semper cupida, quae merito faex humani habetur generis, a rebus publicis gerendis exempta erat 1). Neque absurdum prorsus videtur urbem condere, cui pauci praesint magistratus, bonorum possessione destituti, qui aequam a ceteris civibus accipiant mercedem 2).

Recentiores vero, qui bonorum suadebant communionem, non unius urbis limitibus neque ma-

---

politischen Untersuchungen immer das Bild einer Stadt mit größerem oder kleinerem Gebiet vor Augen."

1) Neque apud Graecos diversitas illa erat sectarum religiosarum, quae sibi invicem saepe infestae multarum discordiarum causa sunt. Hoc bene animadvertit KÖPPEN, Pol. nach. Plat. Grunds. p. 11.

2) Optime hoc vidit MONTESQUIVIUS: »Ces sortes d'institutions... ne peuvent avoir lieu que dans un petit Etat, ou l'on peut donner une éducation générale, et élever tout un peuple comme une famille." Esprit des lois VI, 7. Negare tamen non possumus magnum hominum numerum Platónico instituto excludi a cultu artium, quae illiberales quidem dicuntur, maximae tamen sunt utilitatis.

gistratum classe eam continere voluerunt, sed omnes cives communitate ista complecti conabantur. In hoc etiam a philosopho Atheniensi recedunt recentiores, quod multi eorum vitam servare cupiunt domesticam, quamvis omnes cives bonis utantur communibus. Absurda ratio, quam in Platone non reperimus, qui recte vidit, sublato jure domini, omnia quoque resolvi necessitudinis vincula.

Jam principis Graeciae philosophorum doctrinam de communitate clariore luce illustrare conatus sum. In qua disputatione neque defendi ea, quae reprehendenda erant, nec vero philosophum excusare dubitavi, ubi durius a nonnullis vituperari mihi videbatur. Ne tamen unquam indulgeamus rationibus et placitis, quae communitatis principio faveant; ne firmissima subruamus humanitatis fundamenta, jus dico domini vitamque domesticam; ne patribus auferamus gratum laborem agri pro liberis suis arandi et indefessa industria fructus colligendi, quos filiis suis relinquunt; ne matribus denique eripiamus voluptatem alendae vitae eorum, quibus lucis dederunt beneficium, fructusque parcimoniae offerendi maritis, quorum amore et fide beatas se sentiunt.

— 111 —

THESES.

---

I.

Communio bonorum, mulierum et liberorum, quam Plato in libris *de Republica* praescripsit, ad custodes tantum spectat.

II.

Primaria quaestio, quam Plato in libris *de Republica* tractavit, de justitia fuisse videtur.

III.

In libris *de Legibus* scribendis Plato sententiam de rebus publicis, quam in libris *de Republica* professus est, non mutavit.

IV.

Errant, qui cum Platone putent magnas divitias civitatibus nocere.

V.

Aristophanem in *Ecclesiazusis* Platonis Reipublicae non illuisse contendimus.

VI.

Aristoteles *Politicorum* V, c. 10: πρὸς δὲ τούτοις, διὰ τιν' αἰτίαν ἐκ ταύτης εἰς τὴν Λακωνικὴν μεταβάλλει; appellatione Λακωνικὴν intelligit τιμοκρατίαν, qualis est in Platonis libris *de Republica* VIII, p. 547 D. seqq.

VII.

Repudiamus conjecturam Musgravii, qui in Euripidis *Iphigenia in Tauris* v. 108 pro vulgari: Νεὸς ἄπωθεν: μὴ τις εἰσιδὼν σκάφος, conjicit: Πόλιος ἄπωθεν, μὴ τις εἰσιδὼν σκοπός.

VIII.

Locum Ciceronis *Orat.* IX, § 32, sic legendum statuimus: »Nec vero, si historiam non scripsisset, nomen ejus extaret, cum praesertim fuisset honoratus et nobilis.»

IX.

Horatii *Carm.* I, 4. vs. 16, verba *fabulaeque Manes* inanes Manes significant.

X.

Antiquissima Romanorum historia e priscis Latinorum poetarum carminibus ducta esse non videtur.

XI.

Jam inde a temporibus regum Graecae artes, instituta, religiones in Latium et urbem Romam influxerunt.

XII.

Non assentimur E. Rothio, *die Aegyptische und die Zoroastrische Glaubenslehre*, S. 189: » Aus der Hieroglyphenschrift, und nicht aus dem Thierdienste sind diese thiergestaltigen Götterbilder hervorgegangen.«

XII

From a quantity of ... the ...  
... ..  
... ..

... ..  
... ..

... ..  
... ..

... ..  
... ..

... ..  
... ..

... ..  
... ..

... ..  
... ..